Digitized by Google

Digitized by Google

DEFENSIO RELIGIONIS,

NECNON

Moſis & Gentis Judaïcæ,

contra duas Diſſertationes

JOH. TOLANDI,

quarum una inſcribitur

ADEISIDÆMON,

altera verò

ANTIQUITATES JUDAÏCÆ.

A JACOBO FAYO,

S. S. Theologiæ Doctore, & in Eccleſia Ultrajectino-Britannica ſacrorum myſteriorum Interprete.



ULTRAJECTI,

Apud GUILIELMUM BROED

cIↄ Iↄcc ix.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR.

Non opus eſt, ut noſtri Scripti materiam, ſcopum, & methodum tibi exponam: id enim abundè præſtitimus in ipſo Defenſionis noſtræ limine. Nec amicorum inſtantiam, quorum nullus mei propoſiti conſcius fuit, vel ſimilia, quæ in Præfationibus uſu veniunt, tibi excuſabo. Sed cauſas, quæ ad hunc

Tractatum Polemicum contra *J. Tolandum* ſcribendum me compulerunt, paucis dicam. In anteceſſum non poſſum non obſervare, mihi ſuſpectum eſſe nomen Presbyteri Eccleſiæ Anglicanæ, quod ſuo *Adeiſidæmoni* præfixit *J. Tolandus*: vix enim crediderim, ſacrorum myſteriorum Interpretem Athei, illiuſque qui jamdiu Religioni bellum indixit & intulit dictis & ſcriptis, amicitiam colere velle, multò minùs approbaſſe tam impiam ſcriptionem ſuum nomen in fronte præferre; niſi ipſemet Presbyter Religionis apoſtata ſit, & ad caſtra impiorum tranſierit; quo poſito, nunquam mihi perſuadere poſſim talem hominem in Eccleſia Anglicana toleratum iri: ipſa enim fortiter & fœliciter tam horrenda monſtra

ſtra debellavit, ut & in ſuo gremio enutrivit & adhuc fovet ſtrenuiſſimos & expertiſſimos Religionis defenſores. Itaque mihi perſuaſum habeo, vel illum virum reverendum olim fuiſſe Eccleſiæ Anglicanæ Presbyterum; vel, quod potiùs crederem, nomen reverendum ſuæ Diſſertationi præpoſuiſſe *Joannem Tolandum*, ut hoc ſtratagemate impietatis crimen deteſtaretur, & ut religioſorum hominum credulitati inſidiaretur, ne a ſuo libro legendo abſtinerent, neque a veneno, quod in eo latet, ſibi caverent. Sed his miſſis, quòd *Joannem Tolandum* confutaverim, dicam. Equidem non valdè anxius fui de detrimento ex his duabus Diſſertationibus Religioni acceſſuro: ea enim hominum animis ita inhæret, ut

inde exſeri nullo modo poſſe credam. Nec librum perlectum ullâ reſponſione dignum exiſtimabam, utpote qui argutiis & ſophiſmatibus, convitiis & injuſtis ſugillationibus refertus ſit. Multò minùs illum laborem ipſemet ſuſcepiſſem, ſi de *J. Tolando* refellendo ſolummodò ageretur. Sed quando apud me reputavi, in hoc noſtro ſæculo inveniri & in dies augeri certum hominum genus, qui invectivas & dicteria in Religionem venantur, eum ſcilicet in finem, ut ſuas fœdas voluptates impietatibus miſceant & ad ſuum palatum condiant, illicò mentem mutavi. Præterea ab indignatione me continere vix ac ne vix quidem potui, cùm Religionem, quam omnes populi, imò omnes homines venerantur, a faceto

ceto & protervo homine exſibilatam & ſcommatibus proſciſſam vidi legique. Nec deſunt inter illos impios irriſores, qui ſe ſolos ſapientes viros & bonos philoſophos putent, quique ſua ſophiſmata & convitia ſuæ infidelitatis ſale condita pro invictiſſimis argumentis dictitent; imò religioſos homines deſpicere ſolent, ac ſi res ſacras & divinas credere, quàm eas tractare & defendere malint. Quid dicam de Atheorum, non ſolùm practicorum, ſed & theoreticorum, gente, quos inter Chriſtianos, imò inter ipſos Reformatos verſari, nemo novit, niſi qui planè ignarus & peregrinus ſit Satanæ technarum & operum? nam ut *Platonis* ætate, ſic infimis his temporibus, quæ omnium ſcelerum & impie-

tatum ſentina dici poſſunt, varia reperiuntur horum Religionis hoſtium genera, quorum procacitas retundi, oſque maledicum obturari debet. Licèt diffiteri nolim, Atheïsmum plerumque naſci ex corruptis moribus, vel certò certiùs ad omnia ſcelera perpetranda viam aperire. Unde colligere jure merito poſſemus, inter nos maximè vigere Atheïsmum, dum ubique graſſantur fœdiſſimæ voluptates, omnigenæque iniquitates. Si enim Chriſtianorum gens Deum eſſe, qualem profitentur, reverà crederent, nullus dubito, quin eum amarent & timerent, ex cujus amore & timore neceſſariò ſequeretur morum ſanctitas; itaque non planè inutile fore exiſtimavi illud Opus, in quo homines ad ſinceram

ram fidem & ad meliorem frugem revocare mihi unicè propono. Si autem ex hoc noſtro labore quidquam proficere nolint impii & improbi homines, ſaltem convicti tenebuntur deſperatæ malitiæ & cordis pœnitere neſcii, cujus nullum ſtatuit remedium Deus. Interim ſpero meam operam acceptam & probatam iri illis Chriſtianis, quorum fides firma & ſtabilita eſt, proficuam verò illis piis animabus, quarum fides adhuc vacillat & tenebris ſubinde offunditur. His & ſimilibus inductus cauſis calamum ſtrinxi contra *J. Tolandum*, non ut de debellato hoſte glorier, ſed ut ipſemet, ſi fieri poſſit, det gloriam Deo; non ut laudes hominum captem, ſed ut Dei laudes maneant; non ut mea

ſtet ſententia, ſed ut veritatis cœleſtis ſtet auctoritas. Porrò, benigne Lector, cum *Terentio* fateor me eſſe hominem & nihil humani a me alienum puto; quapropter quidquid peccavero ignoſcas quæſo, & boni æquique conſulas laborem, quem tuæ ædificationi & Dei gloriæ dono ac dedico; quæ ſi obtinere nobis fas erit, æternas agemus Deo ter Opt. Max. gratias. Vale.

Dabam Trajecti ad Rhenum ipſis Calendis Juliis 1709.

INDEX CAPITUM
PRIORIS
DISSERTATIONIS.

CAPUT I.

In quo hujus Operis occaſio & ſcopus oſtenditur. Pag. 1.

CAP. II.

In quo probatur Adeiſidæmonem, *dum* Livium *a ſuperſtitione purgare videtur, eum Atheum eſſe ſtatuere.* p. 5.

CAP. III.

Adeiſidæmon *facit* Livium *audacem Religionis irriſorem & nefarium hypocritam; indidemque concluditur ipſum* Adeiſidæmonem *Atheïsmo favere.* p. 14.

CAP. IV.

Ubi oſtenditur, Adeiſidæmonem *nullibi diſtinguere religionem a ſuperſtitione; ibidemque deteguntur fuci, quos offundit* Adeiſidæmon. p. 25.

CAP. V.

Ubi cauſæ redduntur, quibus adduci debe-

deberet Adeiſidæmon *ad religionem a ſuperſtitione probè diſtinguendam.* p. 34.

CAP. VI.

In quo tertii argumenti partes breviter attinguntur; ibidemque oſtenditur Adeiſidæmonem *omnes religiones confundere.* p. 37.

CAP. VII.

In quo monſtratur injuſtitia cenſuræ, quâ Adeiſidæmon *omnes religiones exagitat, & primò Ethnicam.* p. 40.

CAP. VIII.

In quo defenditur Religio Chriſtiana, ut & Judaïca. p. 46.

CAP. IX.

In quo defenduntur religionum inſtitutores & ſacrarum legum latores. p. 50.

CAP. X.

In quo defenduntur ſacrorum Antiſtites. p. 53.

CAP. XI.

In quo Religionis cultores defenduntur. p. 62.

CAP. XII.

In quo vulgus Chriſtianorum defenditur. p. 66.

CAP.

CAP. XIII.
In quo defenduntur miracula & res ſupernaturales. p. 71.

CAP. XIV.
In quo probatur Adeiſidæmonem *tollere Spiritus incorporeos.* p. 77.

CAP. XV.
In quo probatur dari Spiritus incorporeos teſtimoniis Philoſophorum. p. 80.

CAP. XVI.
In quo ex ratione probatur exiſtentia Spirituum incorporeorum. p. 85.

CAP. XVII.
In quo probatur naturæ incorporeæ exiſtentia ab ejus notione. p. 89.

CAP. XVIII.
In quo naturæ incorporeæ exiſtentia iterum probatur ab ejus facultatibus. p. 93.

CAP. XIX.
In quo naturæ incorporeæ exiſtentia probatur a phænomenis & oſtentis; necnon Adverſariorum objectiones diluuntur. p. 97.

CAP. XX.
In quo mentis æternæ & præſtantiſſimæ exiſtentia probatur, & Adverſariorum argumenta refelluntur. p. 101

CAP.

tione. p. 148.

C A P. XXVIII.

In quo probatur, Atheïſmum ſupremæ poteſtati adverſari. p. 154.

C A P. XXIX.

In quo probatur, Atheum privatis hominibus inſidiari. p. 158.

C A P. XXX.

In quo ſuperſtitioſus cum Atheo comparatur, & concluditur Atheïſmum multò magis nocere Reipublicæ, quàm ſuperſtitionem. p. 163.

INDEX CAPITUM

POSTERIORIS

DISSERTATIONIS.

C A P. I.

Ubi hujus Defenſionis argumentum breviter attingitur, & Huetius *defenditur.* Pag. 168.

C A P: II.

In quo Huetius *ab injuſta* J. Tolandi *cenſura iterum vindicatur.* p. 178.

C A P.

C A P. XXI.
In quo Divini Numinis providentia defenditur & demonſtratur teſtimonio ſacrorum & exoticorum Scriptorum. p. 111.

C A P. XXII.
In quo divina providentia iterum demonſtratur ex ſana ratione. p. 115.

C A P. XXIII.
In quo divina providentia probatur a phænomenis, & argumenta Adverſariorum refelluntur. p. 120.

C A P. XXIV.
In quo probatur animæ humanæ immortalitas ex ejus natura, ut & ex deſiderio immortalitatis. p. 129.

C A P. XXV.
In quo iterum probatur animæ immortalitas a natura Dei, & Adverſariorum argumenta refelluntur. p. 137.

C A P. XXVI.
In quo oſtenditur, ſuperſtitionem, multò minùs Religionem, non eſſe cauſam malorum, quæ eis a J. Tolando *adſcribuntur.* p. 142.

C A P. XXVII.
In quo probatur, Atheïsmum Reipublicæ exitioſiorem eſſe ipſâ ſuperſtitione.

Cap. III.

In quo breviter expenduntur J. Tolandi *animadverſiones in locum* Diodori Siculi lib. I. *ſub finem*, *ab* Huetio Demonſtrationis Evangel. Propoſ. IX. cap. II. paragr. [illegible]. *itatum*. p. 188.

Cap. IV.

In quo examinantur J. Tolandi *animadverſiones in locum* Strabonis lib. XVI. *ab* Huetio Demonſtrationis Evangel. Propoſ. IV. cap. II. paragr. 40. *allatum; & primò* Moſes *vindicatur ab imputatione Pantheïſmi.* p. 192.

Cap. V.

In quo regio Judæa defenditur. p. 201.

Cap. VI.

In quo defenditur origo gentis Judaïcæ: p. 209.

Cap. VII.

In quo oſtenditur vera & genuina gentis Judaïcæ proſapia. p. 227.

Cap. VIII.

In quo Moſes *iterum defenditur.* p. 233.

Cap. IX.

In quo defenditur Religio a Moſe *inſtituta.* p. 243.

DEFEN-

DEFENSIO RELIGIONIS.

CAPUT I.

In quo hujus Operis occaſio & ſcopus oſtenditur.

I. Nuperrime incidi in librum, cujus titulus in ipſa fronte præfixus aliquid ſingulare præ ſe ferre mihi videbatur: obverſabatur enim oculis nomen ſesquipedale & originis Græcæ, *Adeiſidæmon* ſcilicet. Huic Diſſertationi adjuncta eſt altera, quæ inſcribitur *Origines Judaïcæ*; utraque autem ab Auctore *J. Tolando*. In priore *Titum Livium* a ſuperſtitione vindicare obtendit; in poſteriore verò locum quemdam *Strabonis lib.* XVI. explicat, ex quo *Moſem* gentemque Hebræorum, ut & *Huetium* amborum defenſorem, exprobrandi occaſionem arripit *J. Tolandus*.

II. Si de fama *Livii*, aut de loci *Strabonici* ſenſu tantummodò ageretur, ſanè harum duarum Diſſertationum confutationem nunquam

aggreſſus eſſem, ſed quia Religio vertebatur, tum naturalis, tum revelata, quam labefactare totis viribus molitur Auctor, ideoque mei officii eſſe exiſtimavi, ſi ejus cauſam ſuſciperem. Sed ne ulteriùs excurramus, quàm noſter fert animus, Lectores præmonitos velim, nobis nec lubere, multò minùs vacare, duabus Diſſertatiunculis craſſum volumen opponere, aut huc omnia argumenta congerere, quibus ab una parte Religio firmari, ab altera verò Atheïſmus confutari queat: noſtra enim Defenſio eò imprimis collimat, ut antidotum ſubminiſtrem iis, qui Auctoris Diſſertationum conſilium non ſatis animadvertunt, & ut alios, præſertim juvenes, præmuniam, ne ipſo duce & monitore ad omnem Religionem reſpuendam incauti prolabantur. *Nam* (ut cum *Cicerone de Divinat. lib.* II. *paragr.* 4. loquar) *quod munus Reipublicæ* (addam *Eccleſiæ*) *afferre majus meliusque poſſumus, quàm ſi docemus atque erudimus juventutem? his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda & coërcenda eſt.*

III. Initium eſto ab *Adeiſidæmone*, cujus ſcopum retegere & refellere conabor. Ipſe quidem ſpeciem pietatis amoremque veritatis præ ſe fert: ſed *timeo Danaos & dona ferentes.* Nam dum ſuperſtitionem obtendit, ipſam Religionem reverà tollit: ita ut *Adeiſidæmon* ſit tantùm *Livius* perſonatus, qui per cuniculos & anfractus pietatis fundamenta ſubvertere molitur: quod ex hoc uno ſubolere & colligere licet, quia in ipſo titulo Atheïſmi cauſam contra ſuperſtitionem tuetur. Nec mirum de *Adeiſidæmone:* novinus enim ingenium & mores hominis. Præterea ſolenne eſt Atheis & hujus generis hominibus,

bus, Religionem cautè & ſubdolè adoriri: *ne* (ut de *Epicuro* dicit *Cicero de Natura Deorum lib. III. paragr.* 2.) *quid invidiæ ſubeant, aut criminis.* Et, ut hoc exemplo utar, ipſe *Epicurus* libros *de ſanctitate & pietate adverſus Deos* ſcripſit, dum providentiam & omnem numinis metum explodebat, quaſi vera ſanctitas & pietas conſtare poſſint ſine fide providentiæ & vero numinis metu. Vid. *Cic. de Nat. Deor. lib.* I. ſub finem. Pariter *Baelius*, (alias *Baile*, Auctor Gallicus ſatis notus) cujus ſubtilitatem maxime laudat *Adeiſidæmon paragr.* 21. quique jam diu in ſuis ſcriptis Scepticiſmum & Atheïſmum, nec longè ante curriculum vitæ exactum, ſuum Fataliſmum (venia verbo) & Manichæiſmum ſatis apertè prodidit, conſcripſit *Tractatum de Cometis*, Gallice inſcriptum *Diſcours ſur les Cometes*, ut inde occaſionem omnium prodigiorum & miraculorum veritatem tollendi arriperet, & dum prætexit ſuperſtitionis eliminationem, Religionis fundamenta reipſa evertit; & in alio libro, quem inſcribit *Commentaire Philoſophique*, Atheïſmo favere ſtudet. Quid dicam de *Spinoſa*, ex cujus ſcriptis pleraque, quæ Atheïſmum redolent, in his duabus Diſſertationibus excerpſit *Adeiſidæmon*: ipſe etiam contra imbecillitatem & credulitatem vulgi & contra errores communes exclamare ſolet; imò dum ſuperſtitioni mederi vult, fundamenta veritatis & pietatis ſubvertit, præſertim in *Præfat. Tractatus Theologico-Politici.* Ne plures addam, ipſemet *J. Tolandus* in *Epiſtola ad Serenam*, (hæc eſt, ipſo interpretante in *Adeiſidæmone*, ſuperior Regina Boruſſiæ) quæ inter eas, quas idiomate Anglico conſcripſit, ſecunda eſt, tradit hiſtoriam immortalitatis animæ, rectiùs diceret fabulam

nam reipſâ argumenta, quibus illud dogma probatur, diluere ſtudet, licet ſimulatè innuat Deum animos hominum immortalitate donare poſſe aut velle. Et in IV. & V. *Epiſt.* dum *Spinoſæ* ſyſtema mundi confutat, aliâ viâ Atheïſmum inducit, quando inter alia cerebrum ſolam cogitationis ſedem, & motum de natura materiæ eſſe ſtatuit: ex quibus principiis efficitur, eum explodere ſpiritus incorporeos, creatorem & moderatorem mundi, ut & æternum motum materiæ tribuere.

IV. Hæc ideo præmitto, ne nobis fucum faciat titulus hujus Diſſertationis, quâ *Adeiſidæmon* ſoli ſuperſtitioni bellum indicere videtur, dum reverâ animum hoſtilem in Religionem gerit. Siquidem hæc eſt omnium Atheorum triſtiſſima cantilena, & ab ipſo *Tolando* jamdiu uſurpata, ut non mirum videri debeat, ſi hac occaſione eamdem ſimulationem adhibuerit, ut ſua ignea tela in veram pietatem tutiùs torqueat. Sed ne ex ſuſpicione tantùm, aut præjudicatâ opinione cum ipſo pugnare videamur, ipſam Diſſertationem expendamus, & malos dolos *Adeiſidæmonis* detegere ſtudeamus, ubi veram Religionem à ſuperſtitione diſtinguere, & fucos, quos ubique obducit *Tolandus*, diluere operæ pretium erit. Itaque affirmare non dubitabo, *Adeiſidæmonem* obtentu ſuperſtitionis omnem prorſus Religionem tollere: quod demonſtrare conabor diverſis argumentis, (nam ſingulos paragraphos, multò minùs ſingula verba confutare non eſt mihi animus) tantùm ea breviter & ex ordine, quantum fieri poterit, delibabimus, quæ eò faciunt, ut conſilium *Adeiſidæmonis* exponatur & refellatur. Ea autem ad quatuor aut quinque capita reduci poſſunt. Primum argumen-

tum petitur ex iis locis & exemplis, quæ *Adeiſidæmon* adducit ad *Livium* a ſuperſtitione vindicandum. Secundum ex eo quod ſuperſtitionem a vera Religione nullibi diſtinguat. Tertium ex eo quod hæc duo ubique conſultò confundat. Quartum ex eo quod cauſam & fundamentum Religionis tollat. Quintum ex eo quod Átheïsmum ſuperſtitioni anteponat, quoad utilitatem publicam. Hæc huc & illuc in Diſſertatione *Adeiſidæmonis* diſſeminata ad iſtas claſſes argumentorum reducemus, ut noſtræ cenſuræ æquitas & veritas clariùs pateat, & ut noſtræ defenſionis curriculum breviùs exigamus. Nec ea ſubjungere omittam, quæ ad verum Religionem adſtruendam & ad ſuperſtitionem eliminandam facient. Denique *Adeiſidæmonem* monitum velim, ſuæ Diſſertationis cenſuram me minimè ſuſcepiſſe ex odio & invidia in ipſum, ſed tantùm me ejus ſententiæ adverſari, quam ſi duriuſculè habuero, rogo, ne id tribuat ulli pravo affectui, quo torquear, ſed amori veritatis, cui ſuperſtruitur virtus, vel iniquitati cauſæ, quam ipſemet tuetur.

Cap. II.

In quo probatur Adeiſidæmonem, *dum* Livium *a ſuperſtitione purgare videtur, eum Atheum eſſe ſtatuere.*

I. In ipſo limine *Adeiſidæmon* notat, plures inter Claſſicos Auctores, ſive Græcos, ſive Latinos, a Commentatoribus infimæ notæ reprehendi ſolitos,

tos, quaſi alii nimis faciles, alii fabulis dediti, alii verò ſuperſtitioſi fuerint. Inter primos *Plinium Seniorem*, inter ſecundos *Herodotum*, inter tertios verò *Titum Livium* recenſet. Horum omnium Hiſtoricorum cauſam contra illorum Interpretum imperitam & ſocordem cenſuram tuetur: & ut illum a nimia credulitate, ſic hunc a fabuloſitate liberare ſtudet. Sed *Livii* defenſionem imprimis ſuſcipit *Adeiſidæmon.* Iſte enim Hiſtoricus Romanus res naturales, etſi inſolitas, ut agnum (verbi gratia) bicipitem, tonitrus & exundationum mirandos effectus, novorum fontium ſubitam eruptionem, &c. imò impoſſibilia, aut frivola, & quotidiana, ut pluvias lapideas & ſanguineas, arborem viridem exarſiſſe, bovis aut infantis in utero loquelam, lupum aut apum examen viſum in foro, &c. ac ſi eſſent prodigia e cœlo miſſa in ſingula momenta refert; quæ ampliùs deſcribuntur ab *Adeiſidæmone paragr.* 4. Hæ autem & ſimiles fabellæ hominibus cenſoriis anſam præbuerunt *Livium* carpendi, quaſi in illis prodigiis credendis & enarrandis ſuperſtitioſum. Sed quàm injuſti & inconſiderati ſint illi Critici, conqueritur *Adeiſidæmon*: nam ubique affirmat *Livium* minimè credulum aut ſuperſtitioſum fuiſſe circa ſacra & prodigia. Ut autem illud oſtendat, plura loca ex *Livio* adducit, ex quibus contrarium, quàm quod illi Cenſores carpunt, liquere putat. Singula referre & expendere non eſt noſtri propoſiti; præſertim quia ea legere cuique licet in *Adeiſidæmone*, vel in ipſo *Livio*. Sed ad Defenſoris gloſſas & animadverſiones, quibus effici perſuaſum habet, ſuum clientem ab omni ſuperſtitione alienum fuiſſe, ſedulò attendemus.

II. *Adeiſidæmon paragr.* 5. ſine ambage aſſerit,

Livium

Livium totam religionem patriam pro nulla habuiſſe, vel, quod eodem redit, pro pulcherrimo Politicorum commento, in Magiſtratuum ſubſidium & Sacerdotum emolumentum ſubtiliter excogitato, & quia *Numa Pompilius* (referente *Livio lib.* I. *cap.* XIX.) *omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſſimam, Deorum metum injiciendum ratus eſt, qui, quum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet; ſimulat ſibi cum Dea* Egeria *congreſſus nocturnos eſſe: ejus ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, ſacra inſtituere; ſacerdotes cuique Deorum præficere.* Inde colligit *paragr.* 6. religionem patriam diſertis verbis *ſimulationem* & *commentum* vocare *Livium*. Ibidem ſubjungit: *Ab ore idcircò & auctoritate Pontificis debebat omnia rata habere populus; non quæ vera eſſent, ſtudioſè ſciſcitari, ſed quæ publicam tranquillitatem ſpectarent, accipere promptè & officioſè exequi.* Quia eodem *lib. cap.* XX. addidit *Livius*, *cætera omnia publica privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit* Numa, *ut eſſet quo conſultum plebs veniret.* Iterum *paragr.* 7. *Adeiſidæmon* affirmat *Livium* credidiſſe Deos Romanorum factitios, ne ipſo *Romulo* gentis conditore & numine tutelari excepto; ubi *Quirini* apotheoſin a Senatu deſignatam ex eodem Scriptore refert, qui *lib.* I. *cap.* XVI. innuit illum primum Romanorum Regem ab ipſis Patribus ob tyrannidem affectatam ad Capræ paludem diſcerptum fuiſſe: deinde Deum ex Deo natum ſalvere univerſi *Romulum* jubent: & in eodem *paragr.* alia plura addit quæ eò faciunt. Deinde *paragr.* 8. cenſet eamdem fuiſſe *Livii* opinionem de miraculis, præſagiis, oſtentis, prodigiiſque, quæ omnia ſusque deque habuit ejus cliens, prout oſtendere

laborat ex *Liv. lib.* v. *cap.* xxi. & *paragr.* 9. 10. 11. 12. plura loca *Livii* affert, ex quibus effici jactat, ſuum Auctorem res ſuperiùs memoratas, nominatim præſagia & oſtenta,pro fabulis habuiſſe, eaque omnia & ſimilia ſtultitiæ & ſuperſtitioni tribuiſſe. Præterea *paragr.* 15. recenſet quæſtuoſas fraudes, & *paragr.* 16. pias fraudes Sacrificulorum in fingendis miraculis & prodigiis, ut & in introducendis diverſis religionibus a *Livio* notatas *lib.* xxxix. *cap.*.xvi. *lib.* xxv. *cap.* i. & *lib.* viii. *cap.* vi. & *paragr.* 17. ex *Liv. lib.* xxvii. *cap.* xxiii. facilitatem & ſimplicitatem vulgi in illis oſtentis credendis & ..nis religionibus amplectendis taxat; & *paragr.* 18. ex *Liv. lib.* vi. *cap.* v. credulitatem Nobilitatis ipſorumque Principum exponit, firmatque exemplo *Tulli Hoſtilii* a *Livio* narrato *lib.* i. *cap.* xxxi. & tum ipſius plebis, tum ipſorum principum ſuperſtitionem, probante & referente *Livio*, animi & corporis ægritudini tribuit. Unum tantùm locum addam ex *paragr.* 16. ubi ex *Liv. lib.* xxviii. *cap.* xi. refert, quamcunque rem prodigii loco ab illis habitam, qui omnium ſecundorum adverſorumque cauſas in Deos vertebant. Qui plura videre velit, legat *Adeiſidæmonis paragr.* memoratos. Sed hæc ad noſtrum propoſitum ſufficiunt; nam tandem *paragr.* 12. ſic arguit *Adeiſidæmon*: *Quis eſt qui* Livium *fuiſſe, vel in credendo nimis facilèm, vel in cultu ſuperſtitioſum, impoſterum dicere ſuſtinebit*? Et *paragr.* 18. addit: *Notatu digniſſimum eſt, non a noxa tantum & impotenti ſuperſtitionis imbecillitate pleniſſime nunc abſolutum eſſe* Livium, *ſed neminem præterea Auctorem, aut melius iſtud vitium in aliis notaſſe, aut verius ejusdem inveſtigaſſe originem in cunctis hominum ordinibus*? Imò, ab omni

noxa

noxa & impotenti religionis imbecillitate *Livium* pleniſſimè abſolvit; quem non ſolùm non fuiſſe credulum & ſuperſtitioſum, ſed & omnino Atheum & irreligioſum juxta *Adeiſidæmonem* dicere ſuſtineo. Nunc non inquiro ſenſum locorum ex *Livio* allatorum, an eum aſſecutus fuerit *Adeiſidæmon*, necne? nam illud ipſi datur. Non quæritur an *Livius* Atheus fuerit, ſed an talem fuiſſe velit ejus defenſor, necne? Attamen quod antea innui, id iterum inculco, me ſcilicet famam *Livii* non magni facere, multò minùs ejus religionem probare, quæ quota & quanta fuerit, Philoſopho & Theologo, eique Chriſtiano nunquam arridebit. Sed hoc unum impræſentiarum volo, *Livium* omni religione exui, & in Atheorum numerum ab *Adeiſidæmone* referri: quod nobis probare incumbit.

III. Non eſt hujus loci diverſos ordines, diverſaque Atheorum placita ſigillatim recenſere. Sed obſervare conſentaneum duco, hujus farinæ homines, ſive pro materiæ æternitate, quam *Ariſtoteles* affirmaſſe vulgò dicitur, pugnent; ſive originem & phænomena mundi explicent per atomos & figuras, ut *Democritus* & *Epicurus* ſolebant; ſive per corruptionem & generationem accidentium & qualitatum materiæ, juxta hypotheſin *Anaximandri* & aliorum Ionicæ Sectæ Philoſophorum; ſive per naturam plaſticam univerſalem, quæ omnia permeat, totique materiæ moli ſemper præeſt, prout ſentiebat *Zeno*; ſive per aliam ſimilem naturam formatricem, quæ ſingulis mundi partibus propria & peculiaris eſt; ſive *Spinoſæ* ſyſtema teneant; (hæ ſunt enim variæ Atheïſmi formæ) omnes tamen unanimi conſenſu rejiciunt numen immateriale, æternum, & infinite perfectum, nullumque

Deum admittunt ab ipſa natura rerum, vel machina mundi, aut materia diſtinctum. Sed mordicùs affirmant, omnia eſſe tantùm corpus vel materiam diverſimode diſpoſitam & agitatam, licet ſenſu, cogitatione, & conſcia mente propriè dictis deſtitutam; aut ſi illis affectionibus gaudeat, eas ex ipſa materia fluere, & generari & corrumpi volunt. Nam ut ab una parte, ὑλομανίᾳ *hylomaniâ* furunt, ſic ab altera πνευματοφοβίᾳ laborant, hoc eſt, æque ſpiritus refugiunt, ac materiam venerantur, quæ ab omni Atheorum genere loco ſolius & ſupremi numinis habetur. Nec non omnes religiones tanquam ſuperſtitiones reſpuunt, exceptâ illâ quæ a ſummo Magiſtratu deſignata & conſtituta eſt, cui ſoli parendum; ita ut omnibus religionibus valedicere, nullum Deum præter materiam aut mundum agnoſcere, & quidquid in univerſa rerum natura ſit & oſtentatur, tantùm pro naturali habere, ipſis religio ſit.

IV. Hæc autem ipſiſſima ſunt *Livii* placita juxta *Adeiſidæmonem*. 1. Enim religionem patriam pro nulla habuit, vel pro ſimulatione & commento; nec aliter ſentiebat de Diis patriis, quos omnes factitios & adſcititios fuiſſe credebat *Livius*, ut mox *paragr.* 5. notavimus. 2. Multò minùs religiones externas probabat: nam præterquam reliquæ Gentilium religiones ejuſdem originis & naturæ fuerint cum Romanâ, licet ritibus & circumſtantiis diverſæ a ſe invicem forent, teſte ipſo *Tolando*, qui in *Epiſtola de Origine Idololatriæ*, quæ inter eas, quas ad ſereniſſimam Boruſſiæ Reginam Anglicè dedit, tertia eſt, omnem omninò ſuperſtitionem a nimio mortuorum cultu deducere conatur: ipſimet Romani omnium gentium, tum Græcarum, tum Barbararum, quas devi-

devicerant, numina adoptaverant, & ipſam Romam invexerant. 3. His adde quod ipſemet *Adeiſidæmon* aſſentitur, *Livium* nec fuiſſe Gentilem, nec Chriſtianum, multò minùs Judæum *paragr.* 9. Deinde 4. omnes iſtas religiones ad eamdem libram redactas, tanquam figmenta cerebri humani, & commenta Politicorum cum Sacerdotibus conſentientium ad vulgus in ſuo officio continendum, reputabat *Livius*, licet religioni patriæ adhæſerit, & illos Deos fictitios coluerit, ſi non ex animo, ſaltem ſimulatè: ut innuere videtur *Adeiſidæmon paragr.* 19. ad calcem. Nec non accenſendus *Livius* illis doctis viris, qui religionem Romanam probabant, quia eam Reipublicæ non obfuturam, ſed potiùs ſalutarem fore videbant *paragr.* 6. Idem fatetur aliis verbis *paragr.* 9. Pariter oſtenta, miracula, præſagia, oracula, ſimiliaque ſuſque deque habuit: attamen hæc omnium gentium omniumque religionum fuerunt: nam ut de oraculis, quæ, ſi vera ſunt, inter miracula numerari jure meritò poſſunt, tradit *Cicero de Divinat. lib.* 1. in ipſo limine, *gentem quidem nullam video, neque tam humanam & doctam, neque tam immanem & barbaram, quæ non ſignificari futura, & a quibuſdam intelligi prædicique poſſe cenſeat.* Sed vel in iis omnibus, quæ prodigia dicebantur, nil niſi naturale inveniebat, vel in illis fingendis & inducendis multiformes artes & fraudes adhibuiſſe Sacrificulos reputabat *Livius*. Quid ad hæc dicemus? fuit ne ille Atheus, cui Atheorum dogmata, mores, & artificia tribuit *Adeiſidæmon*? imò talem fuiſſe neceſſum eſt, ſi *Tolando* credamus.

V. *Adeiſidæmon* forſan regeret, *Livium* ſincerâ & internâ religione Deum coluiſſe, repu-

diatis

diatis tantùm illis falſis religionibus, ludicriſque ſacris. 1. Rogo quodnam fuerit illud numen, quod coluit; quænamve religio, quam ſectatus eſt *Livius*, ſi nec Chriſtianus, nec Judæus, nec Gentilis fuerit? nullum enim numen, præter Deum Chriſtianorum, & Deos Gentilium fictitios, ab hominibus *Livii* ætate cultum fuiſſe, uſquam legi: nec reverà fuerunt. An dicet illas omnes religiones ſpurias, earumque numina falſa eſſe? Si autem ſic ſentiebat *Livius*, ergo Atheus fuit. Licet enim numina Gentilium adſcititia forent; licet cultus, qui ipſis exhibebatur, impius & abdicandus fuerit; attamen Ethnici in genere, exceptis inter Philoſophos nonnullis Atheis, quibus (ut *Cotta* apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* III. regerit *Lucilio*) plurimis de rebus divinis mentiri mos erat; reliqui ita Theïſtæ fuerint, ut polythei fierent: imò eorum ſuperſtitio & polytheïſmus a confuſa numinis notione, & a ſenſu providentiæ mentis omnipotentis, quæ omnia novit & moderatur, proculdubio fluxit. Et ſi gentes reliquæ nil de vero Deo noverint intellexerintve, tamen fatendum eſt cum *Tacito lib.* v. *Hiſtor. Judæos* (idem dicendum de Chriſtianis) *ſola mente unum numen intelligere, illudque ſummum & æternum, neque mutabile, neque interiturum*; & cum *Dione lib.* 37. ἄῤῥητον δὲ δὴ καὶ ἀειδῆ τὸν Θεὸν νομίζοντας εἶναι θρησκεύειν, hoc eſt, *Deum ineffabilem & viſui non obnoxium eos colere:* ſi autem numen a Deo & religione Judæorum, item & Chriſtianorum, & a Diis Gentilium diverſum veneratus eſt *Livius*, nullum aliud eſſe potuit præter naturam aut materiam, & quid hoc aliud quàm Atheum eſſe? An urgebit, illud unum numen incorporeum & inviſibile, quod ſola mente concipitur, coluiſſe

Li-

Livium? tum fuit Judæus, aut, ſi mavis, Chriſtianus, quod mox negavit *Adeiſidæmon:* nec revera unquam fuit. Præterea, ſi talem Deum incorporeum, omnium dominatorem & moderatorem agnoviſſet *Livius*, eò nunquam veniſſet, ut miracula, præſagia, oracula, ſimiliaque reprobaret, tanquam fabulas aniles, nec unquam dixiſſet, eas eſſe res merè naturales: licet enim innumera commentitia miracula & oracula apud Gentiles venditarentur & pro veris haberentur: tamen qui mentem omniſciam, conſilio & viribus præſtantiſſimam admittit, credere neceſſe eſt, eam futura præſentire, res humanas curare, hominibus conſulere, ut & ſupra modum & vires naturæ agere poſſe; hoc eſt, debet agnoſcere, ſi non neceſſitatem & veritatem, ſaltem poſſibilitatem miraculorum & oraculorum, prout argumentari ſolebant Stoïci ad divinationis veritatem adſtruendam. Vid. *Cic. de Divinat. lib.* 1. His adde, eum eſſe irreligioſum & Atheum, qui omnes omninò religiones, earumque numina & ſacra reſpuit, nec verum illum & perfectiſſimum numen colendi modum, (cujus meminit *Adeiſidæmon paragr.*19.) indagatur, neque aſſequi ſtudet. Qualem fuiſſe *Livium* ſtatuit ejus defenſor: nullibi enim oſtendit illum modum religionis perfectiſſimum, multò minùs eum noviſſe & ſecutum fuiſſe ſuum clientem. Et ſanè ab *Adeiſidæmone* ſcire velim nomen & naturam illius numinis *Liviani*, quod conſultò ubique ſubticet. Itaque nos non morari debet effugium *Adeiſidæmonis*, qui, poſtquam *Livium* eique ſimiles omni religione exuerit, omnique ſenſu & cultu numinis deſtitutos fuiſſe ſatis apertè innuerit, tandem, quaſi ictum detorquere vellet, *paragr.* mox memorato 19. ſic concludit: *ſed non ideo omni numi-*

nis

nis cultu expertes ſunt cenſendi. Imò tales cenſeri debent, qui omnes religiones omniaque numina & ſacra explodebant & repudiabant, niſi coluerint *Adeiſidæmonis* numen, naturam, aut machinam mundi, dico. Concludamus ergo *Livium* omninò fuiſſe irreligioſum; nec ovum ovo ſimilius, quàm *Livius* Atheo, ſi cum *Tolando* loqui liceat. Sive enim id fecerit ex inſcitia & ſocordia, quod vix ac ne vix quidem crediderim; ſive ex animo, licet larvatus incedat, quod mihi perſuaſum habeo: hoc unum certum manet, ex iis ſcilicet, quæ pro ſuo cliente huc uſque adduxit *Livii* defenſor, ſatis liquidò conſtare, illum Hiſtoricum Romanum omni religioni nuntium remiſiſſe. Nec putem ullam *Adeiſidæmoni* fieri injuriam, ſi dicamus eum omnem lapidem movere, ut *Livium* in partes Atheorum trahat.

Cap. III.

Adeiſidæmon *facit* Livium *audacem, Religionis irriſorem & nefarium hypocritam; indidemque concluditur ipſum* Adeiſidæmonem *Atheiſmo favere.*

I. Præterea audax religionis contemptor & irriſor fuit *Livius*, prout *J. Tolando* placet. Quid hoc enim eſt, religionem patriam commentis Politicorum & fraudibus Sacerdotum adſcribere *paragr. 5.*? Quid Deos patrios factitios *paragr. 6.* vanos & futiles *paragr. 19.* dicere? Quid miracula, oſtenta, præſagia ſusque deque habere,

in

in theatro plauſibus plebejis, & in culina obſtupeſcendis ſervulis apprime convenientia eſſe affirmare *paragr.* 8. Quid denique illa omnia quæ ad religionem ſpectant, vel eorum fidem ſtultitiæ *paragr.* 12. aut ægritudini corporis & animi *paragr.* 15. tribuere? quid hoc, inquam, eſt, quam Religionem cachinnis excipere, & ſacra ſarcasmis proſcindere? An non ipſe *Adeiſidæmon* diſertis verbis aſſerit *paragr.* 8. *Livium* irridere prodigia, & *paragr.* 10. multiformem & omnimodam ſuperſtitionem quavis datâ occaſione exſibilare proſcribereque? Cave, quæſo, ne ſuperſtitionem proprio & communi ſenſu accipias: nam ſuperius abunde probavi, ex opinione *Adeiſidæmonis* ſuperſtitionem & religionem eſſe ſynonyma: *Ludimur enim ab homine non tam faceto, quàm ad ſcribendi licentiam libero*, ut exprobratur *Epicurus* apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* 1. ad calcem. Hujusmodi autem licentiam nullo modo probo, nec quivis pius unquam probabit: licet enim Gentilium religiones ludibria eſſent, & ſpectantes riſum vix continerent; licet eas reprobare aut confutare fas ſit; *tamen in rebus tam ſeveris non eſt jocandi locus*, (ut ait *Cic. de Divinat. lib.* II.) ſed ſeriò tractandæ ſunt. Quia quidquid contrariò dicant & agant homines, hoc tamen certo certius eſt, religionem & Deos ſe curare & magni facere, quos ſi irrideri videant, maximam ſibi fieri injuriam jure meritò conquerentur; nec ſua ſacra ſubſannari & ludibrio haberi unquam ſinent ſine indignatione. Præterea pii ſuperſtitionem proſcribi ſtudent, ut vera religio inducatur, quæ eorum animis inſeri nunquam poterit, qui irâ & odio commoti ſunt in illos ſacrorum contemptores & irriſores; ita ut religionem ludere & ſubſannare ſit indicium im-

immanis, malè moratæ, & temerariæ indolis: & ut cum *Cicerone de Nat. Deor. lib.* II. loquar: *mala & impia conſuetudo eſt contra Deos diſputandi (multò magis ridendi) ſive ex animo id fit, ſive ſimulatè.* Nec eſt eorum impia temeritas ſine periculo. Cum Apoſtolus *Paulus* Athenienſium idololatriam animadvertit, ob oculos quidem poſuit eorum ſuperſtitionem, ut eam nimirum abdicarent: nihilominus cultum idolorum molliori & honeſtiori nomine vocavit σεβάσματα, hoc eſt, *devotiones*, *religiones:* nec eorum ſacra & numina ſcommatibus proſcindit: argumentis, non verò cachinnis, res agebatur. Non eorum iram & indignationem ciebat riſu intempeſtivo & barbaro: ſed a pravis religionibus eos abducere ſeriò & ſedulò ſtudet *Actor.* XVII. Sed quid rei Apoſtolo cum *Adeiſidæmone*, hujusque generis hominibus? Atheorum enim ingenium & conſuetudo eſt res ſacras ſubſannare, ut Religionis nauſeam & contemptum hominibus creent. Sic providentiam Divinam anum fatidicam protervo riſu vocitare ſolebat *Epicurus*, nec quid magis irridebat, quam rerum futurarum prædictionem. Eamdem procacitatem notat *Adeiſidæmon paragr.* 9. in quodam ſui amici familiari. Annon numinis notionem & ſenſum, tanquam principem ſpectrorum, deridebat *Spinoſa*? Nec molliùs & modeſtiùs Religionem tractavit *Livius*, qui, ſi *Adeiſidæmoni* fides habeatur, patria ſacra & numina ubique exſibilat, irridet, & proſcribit. Non autem veri ſimile eſt, externis religionibus pepercisse, & ab illis ludibrio habendis abſtinuiſſe *Livium*, cum patrii mores & ritus cuique cordi & curæ maxime ſint. Hinc iterum concludo, illum Hiſtoricum Romanum, ſi non fuerit Atheus, ſaltem Atheo-

rum

rum veſtigia preſſiſſe, & animum hoſtilem in Religionem præ ſe tuliſſe, cùm eam exſibilaſſe dicit *Adeiſidæmon.*

H. Denique nefarium hypocritam & aſſentatorem fuiſſe *Livium*, non obſcurè indicat *Adeiſidæmon.* Quia nimirum illi religioni, quam totam commentitiam eſſe noverat, adhæſit; quià illos Deos, quos adſcititios credebat, nihilominus coluit, ſi non ex animo; ſaltem ſimulatè, prout fatetur *Adeiſidæmon paragr.* 19. ad finem. Licèt autem doctus & philoſophiæ præceptis probè munitus fuerit *Livius*, (ut cum *J. Tolando* loquar eodem *paragr.*) nihilominus cum aliis doctis viris Romanæ gentis, quorum meminit *Adeiſidæmon paragr. 6. religionem approbare ſe ſimulabat, quia legibus & communi concordiæ ſalutaris, nec non Reipublicæ moderandæ, augendæ, conſervandæque imprimis idonea videbatur.* Et ad *paragr.* 9. *J. Tolandi* amicus objicit, *Livium* conſequenter minimè argumentari, quia ſingulis paginis ſe ſuperſtitioſum abundè prodidit, in iis, quæ ad Religionem ſpectabant, credendis & colendis, dum omnia illa ſacra pro nullis & ludibrio habuiſſe *Livium* oſtendere laborat *Adeiſidæmon*. Et reverà cuique *Livii* ſcripta attentè legenti ſtatim liquebit, eum religioni patriæ addictum fuiſſe, Deos immortales patrio more coli approbaſſe, licèt religiones exteras, aliarumque gentium ritus religioſos reſpuerit. Quidquid ſit, maximè conſtat ex opinione *Adeiſidæmonis*, *Livium* ſuam religionem ſimulaſſe, vel potius religioni paruiſſe, quam nullam eſſe cenſebat, niſi venerationem naturæ aut materiæ religionem dici velit, quod ſtylo Atheorum maximè conſonum eſt, qui materiam Deum vocare, eique omnia attributa divina adſcribere non dubitant. Sed de his

deinceps. Unum tantùm ſubjungam: hanc nimirum eſſe omnium Atheorum prudentiam, vel potiùs calliditatem, ut Religioni ſtabilitæ ultrò pareant, licèt eorum placitis adverſetur, notante ipſo *Adeiſidæmone paragr*. 24. *pag*. 78. Itaque *Spinoſa Tractatum Theologico-Politicum* imprimis conſcripſit, ut oſtendat a ſummi Magiſtratus ſola voluntate pendere, in religione ſtatuere quidquid libuerit, & huic legi omninò parendum eſſe. *Poſidonius* rectè hæc notavit; *nullos Deos Epicuro videri, quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratiâ dixiſſe*. Sic ſolent Athei ſupremis poteſtatibus aſſentari, ut earum gratiam & patrocinium ſibi concilient: & religioni patriæ adhærent, ut omnium invidiam effugiant. Eamdem abjectiſſimam ſimulationem & nefariam aſſentationem *Livio* tribuere neceſſe eſt, dummodò vera ſint, quæ de illo Hiſtorico Romano venditat *Adeiſidæmon*. Iterumque ex hoc loco confirmatur, quod jam dixi, *Livium* ſcilicet fuiſſe Atheum, vel id velle *Adeiſidæmonem*.

III. His præmiſſis, &, ut mihi videtur, ſatis abundè probatis, hoc unum, ni fallor, omninò ſequitur, *Adeiſidæmonem* ſcilicet Atheïſmo favere, & Religioni invidere. 1. Quia Atheorum ſimulationem in ipſo limine præ ſe fert, cùm ſuum conſilium concelat, fingitque id unum ſe laborare, ut *Livium* ab omni ſuperſtitione liberet, dum omni Numinis ſenſu & cultu eum exuere reverà ſtudet: cujuſmodi ſimulatio Atheïſmum maximè ſapit. 2. Nec minùs liquidò conſtat, juxta *Adeiſidæmonem*, illum hominem tum demum omni ſuperſtitione liberum fore, cùm Religioni prorſus valedixerit, omnemque Numinis metum excuſſerit, excepto gentis Atheorum Numine, (hoc eſt, τὸ πᾶν, vel *univerſa rerum*

rum natura) cujus veneratores ab *Adeiſidæmone* poſteriùs Πάνθεοι ſeu *Panthei* vocabuntur, ut ſcilicet Atheïſmi nomen & invidiam deteſtetur. His adde, quod laudes ſanioris judicii oppoſitè ad Chriſtianos *paragr.* 8. acris judicii in rerum veritate indaganda & dijudicanda *paragr.* 12. hominis bene morati, bonique philoſophi *paragr.* 19. probæ & erectæ indolis *paragr.* 22. imò ſapientiæ, conſilii, doctrinæ, aliis in locis *Livio* tribuit *Adeiſidæmon*, quia nimirum Hiſtoricus ille Romanus omnia ſacra & divina proſcribere, exſibilare, ludibrio habere temerè auſus eſt. Itaque *Adeiſidæmon* cenſet, illos ſolos bonos eſſe Philoſophos, acri & præclaro ingenio præditos, viros probos & benè moratos, incomparabiles, ſapientiſſimos, conſultiſſimos, a quibus omnes religiones exploduntur & irridentur; imò ingenii, virtutis, conſilii laudes abundè mereri, qui Deorum numini bellum indicere non detrectant, omnique metu phænomenorum & futurorum abjecto, nil niſi naturale admittunt: licèt non aperto Marte, ſed dolo & niſi per cuniculos Religionem eos adoriri velit, ſimulato nempè ſuperſtitionis nomine: nam apud hujus farinæ homines valet illud Virgilianum *Æneid. lib.* 11. *verſ.* 331.

—— *Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?*

Ideoque vice versâ Religio, vel ſummi Numinis ſenſus & cultus, juxta *Adeiſidæmonem*, nil aliud eſt, quàm ſuperſtitio, fatuitas, ſtultitia, imbecillitas animi, prava philoſophia, pravi mores; cùm nullum alium Deum habeat, præter naturam, aut mundi machinam. Sed, ne longiùs excurrat noſtra oratio, hoc in loco primum argumentum concludemus; ex quo efficitur, ut puto,

Adeiſidæmonem animum hoſtilem in Religionem fovere, & quidquid obtendat de *Livio* a ſuperſtitione vindicando, illud extendi debere ad ipſam Religionem, quam penitùs tollit; ita ut *Livius* non ſolùm non fuerit ſuperſtitioſus, ſed planè irreligioſus & Atheus, cujus rei cauſâ laude dignus cenſetur ab ejus defenſore.

IV. Nihilominus, ut hoc unum addam, *Livius* ab *Adeiſidæmone* duriùs & iniquiùs tractatur, quàm decet. Licèt enim nonnullas fabulas religioſas deridendas prodiderit; licèt plura oſtenta & omina, quæ pro veris miraculis habebantur, exploderit; licèt tandem facilitatem vulgi in iis credendis, & calliditatem Sacrificulorum in iiſdem fingendis aut inſtituendis taxet; tamen non inde ſequitur eum omnem religionem patriam prorsùs ſuſtuliſſe, omniaque ſacra & divina nihili feciſſe. Sic *Cicero* ſæpiùs, nominatim *de Divinat. lib.* II. Hariolorum, Victimariorum, Haruſpicum Etruſcorum, Chaldæorum, & hujusmodi Agyrtarum artes & dolos detegit & reprobat; attamen ipſemet, qui Augur erat, auguriorum inſtitutionem, divinationis uſum & commoditates probat laudatque. Nec is ideo omnem prorsùs fidem oſtentorum & præſagiorum tollere cenſendus eſt, vel ſi aliquando tollere videatur, tanta ſententiæ inconſtantia tribui debet ſubtilitati Academiæ, a qua didicerat artem in utramque partem diſputandi, & in omnes Philoſophorum opiniones ſemper objiciendi, nil certi unquam definiendo. Vel forſan tantas corruptelas, tam inſignes fraudes, tamque immanes fabulas, tum in inſtitutione, tum in forma & uſu illarum pravarum religionum, animadvertit ille Philoſophus Ethnicus, ut parum abfuerit, quin ipſius religionis veritatem in dubium

voca-

vocaret, & non rarò contra ipſos Deos diſputaret. Idem ferè de *Livio* judicium ferendum: innumeris enim in locis, præter ea quæ ab *Adeiſidæmone* adducuntur, de portentoſo ſuperſtitionis incremento, deque tot & tantis corruptelis, quæ quotidiè in religionem intrudebantur, jure meritò conqueritur, præſertim in exteras religiones, quæ in dies Romæ graſſabantur, & in Sacrificulorum infimæ notæ tum quæſtuoſas artes, tum pias fraudes, notante ipſo *J. Tolando*, invehitur; dum ſacra patria ubique laudat, eaque, æque ac *Cicero*, omninò retinenda cenſet, exploſis peregrinis illis & pravis ritibus, quos ſuperſtitio invexerat. An hæc probè diſtinxerit, necne, *Livius*, non eſt noſtri otii nec propoſiti inquirere? Hoc unum tantummodò volo, ab *Adeiſidæmone* injuriam *Livio* fieri, quem religioni patriæ, &, ut vidimus, omni omninò religioni hoſtem fuiſſe, monſtrare ſtudet *Adeiſidæmon:* nam primò *Livius* in ipſo proœmio divina ab humanis diſtinguit: & *lib.* 1. *capp.* XIX. XX. Deorum curam & cultum, Deorum numen & providentiam, quæ rebus humanis intereſſe videbatur, (ut ipſemet loquitur) probat, vel ſaltem non improbat: imò mentes divinas agnovit, & quæ ad Deos ſpectant, pietatis nomine ibidem dignatur. Ea autem & ſimilia Atheïſmum nullo modo ſapiunt. Et ſi ad illa loca *Livii*, quæ ab *Adeiſidæmone* ventilantur, vel potiùs torquentur, pergere velimus, facile eſſet oſtendere, totam religionem patriam, omneſque Deos, omniaque oſtenta, præſagia, & miracula, tanquam figmenta cerebri humani, aut fraudes Sacrificulorum, nullomodo repudiaſſe, nec fuſque deque habuiſſe Hiſtoricum illum Romanum, prout vult *J. Tolandus*. Unum aut alterum lo-

cum attingamus, cùm omnes ſigillatim expendere nobis non vacet. Ex.gr. quia *lib.* 1. *cap.* xix. *Livius* refert, *Numam Pompilium* ratum eſſe, Deorum metum ad animos ſine commento miraculi deſcendere non poſſe, ideoque eum ſimulaſſe ſibi cum Dea *Egeria* nocturnos eſſe congreſſus; non inde ſequitur, illum Scriptorem totam religionem patriam pro nulla habuiſſe, multò minùs eam diſertis verbis vocare ſimulationem & commentum, ut vult *Adeiſidæmon paragr.* 6. *Livius* enim non dicit, *Numam* ſimulare Deos eſſe, Numinisque ſenſum & metum, aut ipſam religionem comminiſci: ea enim accipit, ac ſi eſſent animis hominum infixa, & ab ipſo populo Romano tum credita; eum vero tantummodò ſimulaſſe miraculum, quo ſacris, quæ inſtituere vellet, majorem reverentiam apud populum conciliaret. Simulatio ergo *Numæ* non verſabatur circa religionis cauſam & fundamentum, ſed circa ipſius exteriorem formam, hoc eſt, circa ritus patrios, quos ibidem *Livius* a peregrinis diſterminat; quosque vocat cæremonias cœleſtes. Et ſanè quis Religionem inſtituere & docere poſſet, licèt quid ſimulet, & aliquam piam fraudem comminiſcatur. Nam proh dolor! tanta eſt humanæ naturæ imbecillitas & corruptela, ut humana divinis nunquam non miſceant mortales. Annon ſuam cenſuram in *J. Tolandum* retorquere liceret? Quia enim in ſuo *Adeiſidæmone* non pauca ſimulat de *Livio*, idcircò colligendum erit, totam Diſſertationem ſimulationem eſſe; & quia in aliis ſuis Diſſertationibus plura circa Religionem comminiſcitur, inde ſequetur, totam ejus Religionem & doctrinam merum eſſe commentum. Sed æquior in *J. Tolandum* ero, quàm ipſemet in *Livium*: puto

to enim ejus Religionem, (non genuinam quidem pietatem, aut internum Numinis cultum, ut ipſe interpretatur *paragr.* 23.) hoc eſt, Atheïſmum aut Pantheïſmum, eſſe veram & minimè fictam; cùm eorum, quæ vel pro vera Religione, aut contra ſuperſtitionem diſputat, pleraque ſimulata & commentitia ſint. Sed, ut ad *Numam* redeamus; niſi in gente Romana religionem inveniſſet, niſi eam hominum animis penitùs inhærere noviſſet & crediſiſſet, procul dubio ſua commentitia ſacra iis obtrudere minimè auſus eſſet, multò minùs ſubditos in obſequium flectere potuiſſet, nec tam duro jugo tamque duræ ſervituti ſe ſubjici unquam ſiviſſent, niſi ad Religionem naturâ proclive eſſet genus humanum, quidquid obganniant Athei. Iterum, etſi *Quirinum* Deum factitium eſſe reputavit *Livius lib.* I. *cap.* XVI. tamen non facilè mihi perſuaderem, hunc Scriptorem Romanum de omnibus Diis idem ſenſiſſe, ſaltem id nullibi dixit; imò contrarium probaſſe videtur, cùm *lib.* mox laudato *cap.* XX. meminerit numinis cœleſtis, quod rebus humanis intereſſe apparebat. Denique ex eo quod unam & alteram fabellam religioſam *lib.* V. *cap.* XXI. irridet, & quia de illis & ſimilibus prodigiis, quorum commentum probè ſenſerat cordatus ille vir, eodem loco dixerit, *hæc ad oſtentationem ſcenæ, gaudentis miraculis, aptiora quàm ad fidem*; inde immeritò cogetur, *Livium* omnia prorſùs miracula, oſtenta, & præſagia repudiaſſe, eaque aut pro fabulis, aut pro rebus merè naturalibus habuiſſe, ut ait *Adeiſidæmon paragr.* 8. Reliqua prætermitto, & quibus otium & copia eſt expendenda relinquo; vereor enim, ne nimius fuerim in hac prima noſtræ Diſputationis parte perſequenda. Sed hæc

ſubjungere conſentaneum duxi, ut *Livium* ab injuſta *Adeiſidæmonis* cenſura, licèt in ejus defenſionem dicta, vindicarem: nec dubitandum eſt, quin *Livius* religioni patriæ ſaltem deditus, ſi non maximè religioſus, fuerit; animum enim ſuperſtitioſum in ſacris & divinis enarrandis credendisque ſemel & iterum prodidit. Interim non inficias eam, *Livium* æquè ac pleroſque inter Ethnicos doctos & cordatos viros ſæpiùs fluctuare, nec ſibi conſtare in iis, quæ de religione & pietate adverſus Deos diſſerunt. Cujus rei hæc reddi poteſt cauſa: nimirum ſenſus Numinis, quo tenebantur, ut & conſenſus populorum in religione & Diis colendis, veritatem & neceſſitatem Religionis demonſtrabant; ab altera verò parte tot & tanta abſurda, rectæ rationi repugnantia, a prima Religionis inſtitutione & natura longè recedentia, imò ipſis Diis indigna, quæ ſuperſtitio invexerat, quæque in dies creſcebant, in ipſorum animis ſcrupulum injiciebant, & ad omnem Deorum curam & religionem abjiciendam propemodum perſuadebant. Cæterum per larvas, quas continuò induit *Adeiſidæmon*, ſatis liquidò perſpeximus eum id unum contendere, ut oſtendat, *Livium* fuiſſe omninò irreligioſum, & a partibus Atheorum ſtare, imò eo nomine ei magnas deberi gratias & laudes.

C A P.

Cap. IV.

Ubi oſtenditur, Adeiſidæmonem *nullibi diſtinguere religionem a ſuperſtitione; ibidemque deteguntur fuci, quos offundit* Adeiſidæmon.

I. Sed *Adeiſidæmonis* conſilium adhuc clariùs patebit, ſi ad illa argumenta procedimus, quæ non tam ex occaſione, quàm ex ipſo Diſſertationis contextu eliciuntur, quæque non perſonam *Livii*, ſed rem ipſam attingunt; quorum primum hoc eſto, *Adeiſidæmon religionem nullibi a ſuperſtitione diſtinguit.* Opponere quidem hæc duo inter ſe aliquando videtur, ut *paragr.* 19. ubi obſervat, *Cæſare Auguſto* imperium tenente, nec ſuperſtitionem, nedum religionem Romæ viguiſſe; & ibidem loquitur de modo illo perfectiſſimo Numen colendi, a Deo ipſo, qui ſumma eſt ratio, præſcripto, qui diverſus eſt a ſuperſtitione, imò ab illo Numinis cultu, qui apud *Livium* & alios inter Gentiles viros doctos & bonos Philoſophos obtinebat. Sic *paragr.* 24. hæc notat majuſculis litteris: *Atheiſmus & ſuperſtitio ſunt tanquam animorum Scylla & Charybdis. Religio verò in medio ſita eſt.* Præterea *paragr.* 1. alterius Diſſertationis, quæ *Origines Judaicæ* inſcribitur, hæc habet de ſuo *Adeiſidæmone*: adducto enim loco ex *Cicerone de Divinat. lib.* 11. *paragr.* 148. ubi *Tullius* de ſeipſo loquens ſic concludit: *Nec verò (id enim diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda tollitur Religio.*

ligio. Tolandus ſubjungit: *Hoc & de me diligentiſſime intelligi volo, cùm impugnando ſuperſtitionem, Religionem propugnare unum mihi ſit, ut res ipſa indicat, propoſitum, & animi ſenſus.* Et ſub finem ejusdem Diſſertationis ait, *ſe hoc tantùm velle, ut ſuperſtitionis errori veritas Religionis anteponatur.* Sed hæc, quæ tam emphaticè dici & tam diſertè ab ipſo diſtingui videntur, intelligenda ſunt tantùm nomine tenus. Hæc ſunt myſteria & fraudes Atheorum: primò enim ſuperiùs innui, quanta cum cautela & calliditate Religionem impugnare hujus generis homines ſolent; maxime ipſe *J. Tolandus* in quinque illis *Epiſtolis*, quas Anglicè conſcripſit, quæ Atheïſmum ubique redolent, licèt eum intrudat ſub ſpecie pietatis, & ſub larva ſanioris philoſophiæ, ut & in ſuo *Adeiſidæmone* eum feciſſe jam obſervavimus. Eadem ſimulatione ipſemet ejusque ſocii utuntur, quando Religionem a ſuperſtitione diſterminare videntur: nomen relinquunt, rem verò tollunt. Sic *Epicurus* (ut notat *Cicero de Nat. Deor. lib.* 1. ſub finem) Deos verbis relinquebat, re verò tollebat. Idem cenſendum de *Adeiſidæmone*, qui nomina ſuperſtitionis & religionis adhibet tanquam diverſa, dum res, quæ his nominibus ſignificantur, negat. Præterea, id ſolenne eſt Atheis, illa nomina & vocabula, quæ de Deo vero incorporeo, ejusque cultu prædicantur, ad ſuum pudendum & abominandum Deum transferre. *Anaximander*, qui auctor habetur *Materiariſmi*, (venia voci) hoc eſt, qui primus materiam omnium rerum eſſe principium ſtatuit, illam ipſam materiam vita, ſenſu, cogitatione, & intelligentia carentem vocare non dubitat τὸ θεῖον, *numen*; imò ipſum corpus brutum & effœtum, ἀθάνατον *immortale*, ἀνώλεθρον *in-*

incorruptum, ἄπειρον *infinitum*, & quod magis mirari debemus, ἀγένητον *non genitum*, quod omnia continet & gubernat, dicere auſus eſt, teſte *Ariſtotele Phyſic. lib.* III. *cap.* IV. Apud eumdem nonnulli Philoſophi elementa, ut rerum principia, Θεοὺς eſſe volebant: alii affirmabant Chaos eſſe πρῶτον Θεῶν, *Deorum primum. Plinio* mundi machina eſt *numen*, *illudque æternum*, *immenſum*, *neque genitum*, *neque interiturum unquam.* Quid pluribus teſtibus opus habemus? Ipſe enim *Tolandus* in *Origin. Judaïc. paragr.* 15. notat ipſum nomen *Jehova* eſſe æquivocum, quod Pantheïſtæ vel Spinoſiſtæ ſibi adſtipulantur, & naturæ ſuo numini tribuunt æquè ac veri Dei cultores ſoli Creatori adſcribunt. Ibidem addit has phraſes eſſe æquivocas, ſcilicet, *Ens ſummè perfectum*; *Alpha & Omega*; *quod principio caret & fine*; *quod fuit*, *quod eſt*, *quod erit*; *omne in omnibus*; *illud in quo vivimus*, *movemur*, *& ſumus.* Quæ Atheïſmo æque ac Theïſmo apprimè conveniunt, ut ipſemet ait. Atque eò dementiæ & impudentiæ devenerunt, ut vocem (Θεὸν, *Deum*) nil aliud eſſe præter ſonum, aut phantaſma imaginationis, aut notionem abſtractam ſine ambage dixerint, licèt abſurdum ſit negare exiſtentiam nihili; unde efficitur, illos ipſos Atheos habere notionem illius Dei, quem eſſe negant.

II. Sed ſi ſacroſancta nomina & attributa, quæ ſoli menti æternæ & infinitæ conveniunt, vel materiæ ipſâ vitâ experti, vel in machinam mundi compoſitæ adſcribere audent Athei, quid dicemus de illis vocibus & phraſibus, quibus *Adeiſidæmon* utitur (vel potius abutitur) in locis mox memoratis? Annon luditur in ambiguo? vereor, ne irrideamur verbis æquivocis,

Nam

Nam ab ipſo *Tolando* ſcire velim, quid intelligat per illum *Deum*, qui eſt *Summa Ratio*? An illa poſteriora verba eodem ſenſu accipit, quo ea uſurpat *Cicero de Legib. lib.* 1. *paragr.* 18. ubi tradit doctiſſimos viros ſic definiiſſe legem: *Lex eſt ratio ſumma, inſita in natura, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria.* Nam hæ appellationes & voces ſunt dubii generis, quæ in diverſas partes ab Atheis trahi dicuntur, æquè ac *numen ſummum*, *numen infinitum*; nec certioris naturæ eſt nomen *Dei* & *Summæ Rationis*. Quiſnam eſt ille modus numen colendi ab illo Deo, ab illa ſumma Ratione præſcriptus, qui gradu tantùm differt a cultu, quem *Livius* numini exhibebat *paragr.* 19.? An clarioris ſignificationis ſunt voces *Religio* & *ſuperſtitio*? Ipſemet *Adeiſidæmon* vult *paragr.* 23. *Religionem in plerîſque Auctoribus Claſſicis pro quavis abſurdiſſima ſuperſtitione uſurpari.* Cur alibi diſtinguantur, cùm hoc in loco a *J. Tolando* confundantur, nulla reddi poteſt ratio, nec ullam affert & ſuppeditat *Adeiſidæmon*? Et ſi loci ex *Cicerone de Divinat. lib.* 2. ſuperiùs adducti ſenſum ſatis percipio, nihilo certiores ſunt vocis *Religio* & *ſuperſtitio* ibidem ſpecioſè diſcriminatæ. *Tullius* enim, poſtquam in *libb. de Nat. Deor.* contra ipſos Deos diſputaverit, vel in dubio reliquerit, an ſint, necne, ſibi continuò diffidens, nil certi affirmare auſus, & in *lib.* II. *de Divinat.* tametſi divinationem ſuſtulerit, & argumenta, quibus eam adſtruere laborabant Stoïci, petita a divino numine, quod rebus humanis intereſt hominibusque conſulit, totis viribus confutarit, tandem concludit, *nec tollenda ſuperſtitione tollitur Religio.* Imò ſanè tollitur, vel hæc duo non benè diſtinguuntur; addit enim ibidem,

ibidem, *majorum inſtituta in ſacris & cæremoniis retinere ſapientis eſt*; nimirum ex opinione *Ciceronis* (aliàs eloquentiſſimi doctiſſimique, licèt ob Scepticiſmum Academicum maximè vituperandi & improbandi) Religio eſt tantùm ars Politica, & quæ a majoribus tradita & conſtituta ſunt retinendi & ſervandi conſtantia, aut conſuetudo. Nec aliud ſentire poteſt *Adeiſidæmon*, ſi ſaltem *Ciceronis* auctoritate uti velit, quando illo præeunte Religionem a ſuperſtitione diſtinguit. Nec ſecundo, quia ſuperſtitioni, pro medela, opponere videtur *animum doctrina & probitate non leviter imbutum paragr.* 15. ad calcem, idcirco cenſendus eſt nobis ſatisfeciſſe, omnemque verborum ambiguitatem ſuſtuliſſe. Nam ipſi *Adeiſidæmoni* ibidem ſuam mentem explicanti illud, *imbui doctrinâ & probitate*, nil aliud eſt, quàm *ex hominum animis eximi rerum inſcitiam*, & *eradicari errores vulgares*, ut omnia dubia omniſque timor evaneſcant. Cujuſmodi remedium ipſo malo pejus eſt, & veram Religionem, quæ in metu æquè ac in amore Numinis fundatur, ex hominum mentibus prorſùs exſerit: niſi aliud timoris genus ſibi velit *Adeiſidæmon*, quod tamen non exponit. Itaque adhuc ludi videmur ab homine verſipelli: nam facilè crederem eum ſignificare velle per *inſcitiam rerum* & *errores vulgares*, quæ ſuperſtitionis cauſas præcipuas eſſe ſtatuit, vel ignorationem ſubtilitatis & ſapientiæ Atheorum, qui omnium cauſas norunt & nil extimeſcunt, vel fidem præmiorum & pœnarum poſt mortem, metum Numinis vindicis, &c. Quænam autem ſunt illa dubia, quorum ibidem meminit? forſan, an Deus ſit; an res ſupernaturales eſſe poſſint; an animi noſtri immortales ſint, necne?

III. Ea-

III. Eadem ferenda eſt ſententia de *illa ſalubri inſtitutione & conſtanti exercitio*, *quibus educationis præjudicia*, unde ſuperſtitio ſubinde naſcetur, *radicitùs tolli* vult *Adeiſidæmon paragr.* 18. hæ enim ſunt voces æquivocæ, quæ in contrarium ſenſum trahi poſſunt. Ipſe *J. Tolandus* his iterum ſignificare videtur cognitionem rerum cauſarumque naturalium, & omni metu, tum præſentium, tum futurorum, penitùs abjecto, ad omnes caſus paratum animum, qui ad vitæ uſque finem nunquam vacillat, nec turbatur, eo quod probè noverit nil eſſe niſi naturale, & rectè inſtructus fuerit ex ſchola Atheorum de omnibus portentis, miraculis, omnique re, quæ oſtenditur tanquam præternaturalis, negandis. Ut ille apud *Virgilium Georgic. lib.* 11. *verſ.* 415. ab *Adeiſidæmone* allatus *paragr.* 19.

Fœlix! qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Eodem enim paragrapho *Adeiſidæmon* exprobrat imbecillitatem animi ipſorum Nobilium & Primatum, qui æquè ac imperitum vulgus metuunt aut ſperant a rebus leviſſimis & remotis, imò ab ipſis impoſſibilibus & non-exiſtentibus inter ſpem & metum jactari & diſtrahi ſe ſinunt. E contrà, alter ille religioſus vir, (ut ſtylo *Tolandi* utar) aut potius ille Atheus *paragr.* 23. qui non Deum ſcelerum ultorem credit, dummodo naturâ & arte bene comparatus & peritus Philoſophus ſit, ſecurus in hac vita, nil extimeſcet poſt mortem. Id ſibi volunt verba *Adeiſidæmonis*, ſi quid ſaltem ſignificant. Idem judicandum de illis iteratis querimoniis, quibus exclamare videtur contra ſuperſtitionem, religionis redu-

reducendæ cauſa; ut quando *paragr.* 20. indoctos & inſipientes doctis & ſapientibus opponit, & *paragr.* 21. rationem conſuetudini, quarum altera parùm, altera verò multùm valet in homines. Sed hæc & ſimilia tam ſubtiliter diſputata ad omnem dubitationem removendam nondum ſufficiunt, nec illis diſtinguitur vera Religio a prava ſuperſtitione. Licèt enim ipſa *religio*, *ratio*, *doctrina*, *inſtitutio*, *probitas*, *conſtans exercitium*, ſimileſque voces aut phraſes molliori ſenſu hic ſumerentur: tamen ex illis ſimpliciter dictis, nec explicatis, nunquam conficietur vera & ſincera pietas erga æternam & infinitam mentem; quod illud ipſum eſt, quod per Religionem præſertim intelligimus: nedum voces illis oppoſitæ neceſſariò denotarent pravam ſuperſtitionem. Sed *Adeiſidæmon* nobis idoneam cauſam præbet illa omnia vocabula, omneſque diſtinctiones, quæ in iis fundantur, in malam partem & alieno ſenſu accipiendi; ita ut inſtituatur hæc oratio *Adeiſidæmonis*, non tam de Religione a ſuperſtitione diſtinguenda, quàm de pugna Atheïſmi cum Religione: nam ſuam rationem, doctrinam, inſtitutionem, probitatem, exercitium, imò ipſam religionem habent Athei, (utinam veram & genuinam tenerent!) ipſamque Atheïſmi appellationem ut invidioſam deteſtantur, & cum omnibus hominibus in ſuperſtitionem invehuntur, ita ut nominibus immutatis res alias ſignificent.

IV. Nec magis fidendum *Adeiſidæmoni*, donec nobis dixerit, quid religio ſit, quid verò ſuperſtitio? quomodo definiantur, quomodo vero a ſe invicem diſcriminentur? quodnam utriusque objectum, quæ cauſæ, quæ verò forma? quænam denique religio aliis anteponenda? ut omnibus

bus liquidò pateat, quid intendat, quidve doceat *Adeiſidæmon*? *nam* (ut *Balbus* apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* II. *paragr.* 71. obſervat) *non ſolùm philoſophi, verùm etiam noſtri majores ſuperſtitionem a Religione ſeparaverunt.* Ibidemque utriusque nomen & naturam definit diſtinguitque ſatis accuratè, quoad Ethnicum attinet: *Cultus autem Deorum* (inquit ille) *eſt optimus, idemque caſtiſſimus, ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietàtis, ut eos ſemper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent,* ſuperſtitioſi *appellati ſunt: quod nomen poſtea latiùs patuit. Qui verò omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent & tanquam relegerent,* religioſi *dicti ſunt. Ita factum eſt in ſuperſtitioſo & religioſo, alterum vitii nomen, alterum laudis.* Horum nil agit *Adeiſidæmon*, nil definit, nil diſtinguit, omnia miſcet. Vereor, ne id eò faciat, ut veritatis lux in illis tenebris lateat & ut in confuſa oratione ſinceritas ſuperſtitionis dignoſci nequeat. Nonnullas quidem ſuperſtitionis partes attingit, earumque cauſas & remedia aperit: ſed eæ ſunt, quæ Ethnicos magis quàm Chriſtianos ſtringunt, dum Religio negligitur. Nil de ejus objecto; nil de origine: pauca quidem habet de numine: nil vero de mente æterna & infinita, quæ omnia finxit & regit, quam ſolam pii mente venerantur; nil de ejus cultu genuino & perfectiſſimo; nil de argumentis, quibus ad Religionem indagandam & ſequendam accenduntur animi. Quid hoc eſt, quàm ſtudium veritatis & Religionis amorem deſerere? Forſan dicet, de Religione & ſuperſtitione ex profeſſo agere ſibi nunquam fuiſſe animum: ſed ullos vulgares errores omnis

mnis ævi & loci exponere, nonnullasque pravas ſuperſtitiones traducere, tantummodò voluiſſe, ut ſuæ ſtultitiæ tandem homines pudeat; interea Religionem non ita prætermiſiſſe, quin de eà ſatis ſuperque dixerit, quæ ad eam a ſuperſtitione ſeparandam, eamdemque ſequendam ducunt. Sed hoc eſt (pace ſuâ dictum) quod negamus; nam, ut mox vidimus, ipſemet continuò æquivocatur, nec verum diſcrimen inter Religionem & ſuperſtitionem ullibi explicat; ſed verbis ambiguis & ancipitibus nos illudere ſatagit. Ex quibus omnibus efficitur, *Adeiſidæmonem* ſalubri Religionis inſtitutione hominum animos imbui nolle, tantumque abeſſe ut eos jùbeat a ſuperſtitione ad veram pietatem tranſire, quin omnia ex ſtudio miſceat, ne hæc duo internoſci & ſeparari queant; licèt ſui officii omninò fuerit diligentem operam impendere, ut hæc duo probè diſtinguerentur: non ſolùm ut orationis ſtaret decus & ordo, ſed imprimis ut pietatis laudes manerent, & ut conſtaret eum vera locutum, quando innuit hanc & alteram Diſſertationem ſe conſcripſiſſe, ut Atheïsmum & ſuperſtitionem tamquam extrema effugere, religionem vero, quæ in medio ſita eſt, ſequi, ipſo duce diſcant & velint homines *paragr.* 24. & ut ſuperſtitionis errori Religionis veritas anteponatur.

C A P. V.

Ubi cauſæ redduntur, quibus adduci deberet Adeiſidæmon *ad religionem a ſuperſtitione probè diſtinguendam.*

I. Primò enim illam malam famam, quam dictis & ſcriptis jamdiu ſibi conflavit *Tolandus*, hoc loco tollere operæ pretium fuit. *Livii* laudes ſunt ipſi cordi. Utinam proprias curaſſet! Illum Hiſtoricum Romanum a ſuperſtitione vindicare ſtudet: multum præſtitiſſet, ſi ab Atheïſmi macula & imputatione ſeipſum purgare laboraſſet. Hunc autem in finem omnis verborum ambiguitas & dubitandi anſa ſummâ cum curâ cavenda fuiſſet, omniſque opera danda, ut unaquæque res proprio & vulgari vocabulo exprimeretur: adeo ut, quando ex. gr. Religionem ſuperſtitioni oppoſuiſſet, nemo, niſi rixoſus, non ſtatim percepiſſet, eum illis vocabulis nil aliud intelligere, quàm vulgò ſignificant, nempe priore veram & ſinceram pietatem erga Numen incorporeum, poſteriore verò pravos & abſurdos ritus religioſos. Nam ſanè quivis pius *J. Tolandum* libenter legeret pro Religione diſputantem eodem animo, quo contra ſuperſtitionem: vel (quemadmodum *Balbus* inquit apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* 11.) *mallet eumdem Adeiſidæmonem, dum, quâ eloquentiâ Deos falſos ſuſtulit, eâdem veros inducat.* Quod cùm prorſùs neglexerit *Adeiſidæmon*, ideò non eſt dubitandum, quin eumdem animum hoſtilem in Religio-

ligionem adhuc foveat, quam ut certiùs transfigat, nomine & fatuitate ſuperſtitionis eam traducit. Itaque quemque legentem *Adeiſidæmonis* Titulum, in quo Atheïſmi cauſam contra ſuperſtitionem tuendam ſuſcipit, ſtatim ſuſpicio ſubit, annon quadam circuitione ipſam Religionem tollere ſtudeat? cujus nequitiæ labes nunquam certiùs detergi poſſet, quàm ſi rem ſincerè tractaſſet, nobisque diſertis verbis & ex animo dixiſſet, quid valeat Religio? quid noceat ſuperſtitio? quid deliret Atheïſmus? Econtrà vagis & incertis vocabulis utitur, adeo ut liquidò pateat, eum nihilo magis Religionem curare, quàm ſuperſtitionem, nec Diſſertationis Titulum ementitum fuiſſe. An dicet, ſatis hominibus ſe profuturum, dummodo eorum mentes omni ſuperſtitione, dubitatione, & formidine eximere noverit & poſſit, quod imprimis contendit? Egregiam verò laudem & ſpolia ampla referet, ſi nobis ob oculos ponat exemplum *Livii* ab omni ſuperſtitione alieni; ſi de quibusdam commentis, ſi de nonnullis vanis & abſurdis Romanorum portentis diſtinctâ oratione diſſeruerit; ſi nos doceat quid valeant artes & fraudes Sacrificulorum in pravis religionibus; ſi monſtret quàm credulum & fabulis deditum ſit profanum & imperitum vulgus; ſi populum a metu cometarum, eclipſium &c. liberare ſciat? nam hæc & ſimilia in *Adeiſidæmone* tractantur. An hæc tanti ſunt pretii & uſus, ut Diſſertationis laborem mereantur? Quid horum pleraque cum Chriſtianis? quid ad bonos mores? quid ad Religionem retinendam, vel reducendam? An ſapientiores, an ſanctiores erunt homines, quando eò philoſophiæ devenerint, ut ſagas, ut lamias, ut ſpectra, ut cometas, ut ſimilia prodi-

gia nec credant, nec extimeſcant? Quid hæc oſtenta ad pleroſque hujus Reipublicæ incolas, & ad alias Reformatas gentes? Quid præſertim ad doctos, a quibus ſolis legetur *Adeiſidæmon*? Annon ſunt iis multò pejores & Religioni magis exitioſæ ſuperſtitiones, quæ ſalubriore inſtitutione indigent, quæque idcircò majore cum cura & magis improbo labore eradicandæ ſunt; quas tamen conſultò præterit, quas non diſtinguit, quas non damnat *Adeiſidæmon*? Sed levioribus inſiſtit: quia nimirum non tam ſibi proponit ſuperſtitionis propriè dictæ tollendæ curam, ſed ex animis hominum omnem metum & dubia eximendi, quibus ſublatis, via ſternitur facilior ad omnem ſenſum & metum Numinis excutiendum, quod non dubitant impiè vocare omnium ſpectrorum maximum. Huic autem propoſito aſſequendo ſibi ſufficere exiſtimavit *Adeiſidæmon*, ſi illas minùs nocivas ſuperſtitiones traduceret, aliis prætermiſſis maximè exitioſis.

II. Præterea, ſi in hac ſua Diſſertatione (prout ipſemet *Adeiſidæmon* in *Epiſtola* præfixa *pag.* 16. obtendit) de ſuperſtitione eliminanda imprimis ageretur, profectò ſuperſtitiones illas abſurdiſſimas & peſtilentiſſimas, tum demum definitas deſcriptasque, improbaſſet; quin imò nil non feciſſet, ut animi humani optimâ ſanctiſſimâque Religione priùs imbuerentur; cujus unius tanta eſt vis, tanta efficacia, ut ſi ſemel eam probè noverint & teneant homines, a ſuperſtitione tuti & muniti erunt: ignoratio enim mentis perfectiſſimæ, caſtiſſimique hujus Numinis cultus & metus, præcipuæ ſuperſtitionis cauſæ unquam fuerunt ſemperque erunt. Ea autem ſubticet, ea non diſtinguit, ea non explicat *Adeiſidæmon*; quia omnes religiones ab ipſo habentur pro ſuperſti-

tioni-

tionibus, quas eradicare uno labore ſtudet, ſublato metu ſpectrorum & omnis generis oſtentorum, unde oritur ſuperſtitio, ut dictitat *J. Tolandus.* Denique ſublatâ ſuperſtitione, ſi ibi ſubſiſtitur, facilis eſt in irreligionem lapſus; cùm enim homines audierint prodigia & præſagia ſine diſcrimine traduci, inde facilè ſibi perſuadebunt, omnia oſtenta & oracula promiſcuè rejicienda eſſe, niſi vera prodigia, hoc eſt, miracula propriè dicta & oracula, a putidis & fictitiis probè diſtinguantur; necnon, ſi hâc doctrinâ ſemel imbuti erint, nil ab illis rebus ſibi timendum eſſe, ſtatim eò ſtultitiæ devenient, ut ne ipſum Numen timeant. Et quando ob eorum oculos exponuntur fraudes & artes Sacrificulorum in ſuperſtitionibus fingendis & promovendis, ſanè ipſis proclive erit ut credant omnes omninò religiones commentitias eſſe, hoc eſt, ſuperſtitione abdicatâ in Atheïſmum delabentur: niſi illis præjudiciis occurratur, religionem a ſuperſtitione probè diſtinguendo. Quod quia cum conſilio omiſit *Adeiſidæmon*, idcircò putem nullam ipſi fieri injuriam, ſi dicamus, eum non tam ſuperſtitionem, quàm ipſam Religionem eliminandam meditari.

Cap. VI.

In quo tertii argumenti partes breviter attinguntur; ibidemque oſtenditur Adeiſidæmonem *omnes religiones confundere.*

I. Sed pergo ad alterum argumentum: nam tertiò mihi probandum incumbit, *Adeiſidæmonem*

monem non ſolùm veram & genuinam Religionem a ſuperſtitione nullibi ſeparare, ſed etiam hæc duo continuò confundere, licèt hîc pro more ſuo larvam iterum induat; quia nimirum omnes omninò religiones, omnium religionum inſtitutores & legumlatores, omnium ſacrorum quoſlibet antiſtites, omniumque religionum cultores ad eamdem libram redigit, & vel ſuperſtitionis, vel fraudis inſimulat. His addi poteſt, eum ſacra & ſevera ludicris & futilibus conſultò confundere. Primò, omnes religiones confundit, ipſiſque notam ſuperſtitionis & mendacii ſine diſcrimine inurit *Adeiſidæmon*. Id de religionibus Gentilium diſertis verbis affirmat: nam ex *Livio* probare conatur *paragr.* 5. 6. 7. 8. ſuperiùs memoratis, Romanorum religionem fictam, politiæ in totum adaptatam, & pro arte ſubditos in officio benè continendi habitam, vel pulchrum Politicorum commentum; eorum Deos adſcititios, eorum prodigia & oſtenta ludicra & abſurdiſſima, uno verbo, omnia eorum ſacra nulli non ridenda & explodenda fuiſſe. Nec aliter ſentit de cæterarum Ethnicarum gentium religionibus: nam *paragr.* 7. ſine ambage aſſerit, *omnes Gentilium Deos Deasque fuiſſe homines, & ex nimio mortuorum cultu fluxiſſe omnem quamcumque ſuperſtitionem.* Quis forſan crediſſet *Adeiſidæmonem* excepiſſe Religionem Judæorum, vel ſaltem Chriſtianorum? Sed nil minus: nam *paragr.* 8. poſtquam locum adduxit ex *Livii lib.* v. *cap.* XXI. ubi Hiſtoricus ille Romanus fabellam quamdam religioſam irridens, ait, *in rebus tam antiquis, ſi quæ veri ſimilia ſunt, pro veris accipiantur, ſatis habeam.* Noſter vero cenſor addit: *Hæc eſt, ut in tranſitu dicam, omnium temporum & Religionum tritiſſima cantilena*, ut nimi-

nimirum pro veris accipiantur & venditentur, quæ tantùm veriſimilia ſunt, & fabellæ bellè fabricatæ piè credantur ; ubi liquidò patet, eum omnes omninò Religiones fabuloſitatis & ſuperſtitioſæ credulitatis arguere : ne quis enim perſuaſum habeat, *Adeiſidæmonem* ſuam cenſuram reſtringere ad abſurdiſſimas & idololatricas religiones, hoc in loco eam ſine ambage extendit ad *Chriſtianos*, apud quos æquè ac apud *Gentiles & Mahumedanos, ea creduntur obſervanturque & pro traditionibus Apoſtolicis accipiuntur, quæ in ſacris ſcriptis neutiquam comparent.* Ibi autem per Traditiones Apoſtolicas, ſi quid conſonum & ad præſentem materiam accommodatum dixerit, nil aliud intelligit præter illa prodigia & omnis generis miracula, quæ in Novo Teſtamento traduntur, & in Religione Chriſtiana tanto jure creduntur, quanto illa fictitia & putida prodigia, oſtenta, & oracula apud Gentiles pro veris venditabantur ; nam hæc tractantur in hoc *paragrapho.* Præterea ibidem *Adeiſidæmon* ſubjungit, *Livium* ſaniori præditum judicio, quàm ipſos Chriſtianos, aliter judicaſſe de miraculis portentiſque, aut de illis rebus, quæ præter naturæ modum & vires fieri creduntur, quando inquit: *Hæc ad oſtentationem ſcenæ, gaudentis miraculis, aptiora eſſe quàm ad fidem.* Quid plura? Etenim *paragr.* 7. poſtquam jocando diſſeruit de prima & ſecunda Romanæ Religionis editione, quæ tota immutata fuerat & contrarias formas paſſa fuerat, licèt eadem ſemper manſiſſe, & ab ipſo auctore *Numa* illibata fluxiſſe, credita ſit a fatuo popello ; *Adeiſidæmon* univerſalem doctrinam inde ſubjicit, & obſervat, *nec quicquam poſſibilius, aut magis naturale eſſe, quàm hujuſmodi imperceptibilem mutationem, præ-*

ſertim in religioſis dogmatibus, *quorum nomina eadem uſque remanent*, *rebus ipſis ſublatis*; hoc eſt, omnes religiones ab una forma in alteram facillimè & ſenſim ſine ſenſu tranſire. Nec dubitandum, ex ſententia & argumentatione *Adeiſidæmonis*, Religionem Chriſtianam diverſas metamorphoſes, aut, ut cum *J. Tolando* loquar, editiones paſſam fuiſſe, cujus dogmata tota immutata ſunt & deperdita, dum nomen Chriſtianum ſolum manſit. Idem cenſet de Religione & inſtitutione Moſaïca in *Origin. Judaïc. paragr.* 17. ubi aſſerit, *cum* Moyſe *ferè & primis ſucceſſoribus fuiſſe deperditam, nec ullibi unquam integrè ſtabilitam.* Etenim *Adeiſidæmon* ejuſque ſimiles Religionis ſyſtema tale, quale mundi, nobis obtrudere volunt: fingunt enim Religiones cum univerſa rerum natura circumagi & immutari: imò ab illo tempore, quo Religio ex cerebro humano, quaſi fœtus abortivus, in lucem prodiit, per certam declinationem Atomorum eam infinitas formas viciſſitudineſque paſſam & in æternum per eaſdem declinationes paſſuram eſſe.

CAP. VII.

In quo monſtratur injuſtitia cenſuræ, quâ Adeiſidæmon *omnes religiones exagitat, & primò Ethnicam.*

Nunc videamus, quàm injuſta ſit illa cenſura, quâ omnes religiones ſuperſtitionis & corruptelæ ſine diſcrimine damnat *Adeiſidæmon.* Verum eſt, Gentilium religiones omnimodæ ſuperſtitionis plenas fuiſſe, & vel in libris, in quibus

quibus continebantur, ut libri *Numæ*, qui juxta *Livium lib.* XL. *cap.* XXIX. ex Senatusconſulto combuſſi ſunt, libri Augurum, libri Haruſpicum &c. multa abſurda & impia præſcripta fuiſſe, vel multò plura & pejora credita, aut perpetrata fuiſſe in delubris, in vicis, in ædibus, tum in propatulo, tum in abditis penetralibus; ita ut abſurdiſſima dogmata tenerent Pagani, & multiformi ſuperſtitione oppreſſa jaceret eorum religio. Sane & de Numine indignè ſentiebant, & indignioribus ſacris illud colebant. Teſtes ſint innumeræ illæ Deorum ſpecies & ſtatuæ, quas venerabantur; infiniti illi, multiformes, & ludicri ritus, qui in ſacrificiis peragendis, & in ominibus tum capeſſendis tum dicendis obſervabantur, quorum non pauca ad artem divinandi ſpectantia refert & proſcribit *Cicero libb. de Divinat.* Sin gentium Polytheïſmi cauſæ fuerint fabulæ Poëtarum, qui omnia Deos eſſe commenti ſunt, ſin verò placita Philoſophorum, qui quævis abſurdiſſima dixerunt de Dei natura & attributis, non multum moror; cùm omnes illi Gentilium Theologaſtri, qui ſe ſapientes dictitabant, ſtulti facti ſint, nec Deo gloriam tribuerint, licèt eum noverint; prout Apoſtolus *ad Rom.* I. notat: nam, ſi rem altiùs repetamus, liquebit in antiquiſſimis temporibus minùs ſuperſtitioſos fuiſſe homines: quando, ut tradit *Plinius lib.* III. *cap.* LVII. *religiones colebantur piè magis quàm magnificè*, hoc eſt, ſine pompa & apparatu. Cui accinit Plutarchus in *Vita Numæ*, ubi memoriæ prodidit, ante ſeptuageſimum centeſimum annum urbis conditæ nullum Romæ fuiſſe Dei ſimulachrum fictum, aut pictum. Idem refert *Herodotus lib.* I. *cap.* XXXV. de Perſis, qui Deos colebant ſine ſpeciebus & ſtatuis, ſine

C 5 tem-

templis, aut altaribus. Nec unquam ignoratione & ſuperſtitione ita occæcati ſunt homines, ut ex eorum animis unius Dei ter Opt. Max. notio prorſùs expuncta ſit: nam inter Gentiles ſemper convenit, fuiſſe unum ſupremum Deum, quem ab cæteris Diis accuratè diſtinguunt, quem mentem perfectiſſimam vocant, quemque mundi opificem & moderatorem agnoſcunt. Eorum Philoſophi & Poëtæ nobis ſuppeditant innumera hujus veritatis argumenta, quæ huc ſigillatim adducere ſupervacaneum duco, pauca tantùm memorabo. *Cicero de Nat. Deor. lib.* I. tradit, *Thaletem Mileſium, qui primus de natura Deorum & rerum principiis quæſivit, putaſſe Deum eſſe mentem, quæ omnia ex aqua finxit.* Cujus Philoſophi ſententia proxime accedit ad Moſaïcam hypotheſin, quâ Dei Spiritus dicitur incubaſſe aquis, ut nimirum intelligatur, ſuâ omnipotenti virtute omnia ex aquis, vel Chao fluido confeciſſe *Gen.* I. Et *de Nat. Deor. lib.* II. *Balbus* aſſerit, *ex contemplatione cælorum cæleſtiumque corporum colligi, ut quid apertum & perſpicuum, eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur: idque probari ex conſenſu gentium.* Idemque *de Leg. lib.* II. probat unam eſſe mentem divinam, in qua fuit ab æterno Lex vera, princeps, &, ut ita dicam, archetypa; ex qua fluxit Lex naturalis in hominum animis confecta, juris injuriæque norma, eamque vocat rationem ſummi Jovis. Loco mox citato in *Vita Numæ Plutarchus* nos docet, illum Regem Romanorum crediдiſſe *Deum non ſenſilem eſſe, ſola mente concipi, nec videri, nec corrumpi, nec fingi poſſe.* Quid non abſimile tradit *Herodotus* pater ille Hiſtoriæ de Perſis, qui putabant Deos non eſſe ἀνθρωποφυεῖς. Quid dicam

de Poëtis, tum Græcis, tum Latinis? ubique enim agnoſcunt numen unum æternum ſupremumque, illudque laudibus, precibus, & gratiarum actionibus colunt & venerantur. *Euripides* in Tragœdia, quæ inſcribitur ΙΚΕΤΙΔΕΣ, SUPPLICES, fatetur unum eſſe ſupremum *Jovem*, a cujus nutu omnes prorſùs homines pendent, *verſ.* 734. ſeq.

Ὦ Ζεῦ, τί δῆτα τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
Φρονεῖν λέγουσι; σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
Δρῶμέν τε τοιαῦθ', ἂν σὺ τυγχάνῃς θέλων.

O Jupiter, quidnam miſeros homines
Sapere dicunt? ex te enim pendemus,
Facimusque talia, quæ tu vis.

Idemque Poëta ad hunc unum *Jovem* cœli terræque moderatorem, qui a cæteris Diis ſuperis diſcriminatur, libamina & vota ſupplicia fundit, ut mentibus hominum luce ſuâ aperiat originem & medelam malorum ſuorum. Huic accinit *Ariſtophanes* in principio *Pluti*, quo in loco *Jovem* & Deos diſtinguit:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί.

Quàm dura res eſt, proh Jupiter & Dii!

Ennius Poëtarum Latinorum antiquiſſimus inter Deos unius laudes deprædicat, qui ab ipſo dicitur

Divumque hominumque pater, Rex.

Nec diſcrepat *Plautus Capt. Act.* 2. *Sc.* 2.

Eſt profectò Deus, qui quæ nos gerimus, auditque & videt.

Huic conſonum iſtud *Virgilianum Æneïd. lib.* 1. *verſ.* 195.

- - - O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres!

Unum & alterum teſtem addam. Apud *Xenoph. lib.* 1. *Memor. Socrates* totis viribus conatur *Ariſtode-*

mum

mum perſuadere, eſſe mentem unam æternam, quæ omnia cum conſilio & ſapientia fecit, quam eſſe debemus credere, licèt inviſibilem, quam colere, licèt beatiſſimam; cui omnia parent, quia eſt mens magna & infinita immenſaque ſcientia & ſapientia. Imò propter unius illius Dei fidem cicutæ potu periit apud Athenienſes *Socrates*: *Tertullianus* enim tradit, *propterea damnatus eſt Socrates, quia Deos deſtruebat.* Magiſtri veſtigia preſſit *Plato* ille divinus: licèt enim animam quamdam mundi, quæ univerſam rerum naturam permeabat, excogitaviſſet, tamen nec illi animæ, nec ejus corpori, mundo ſcilicet, æternitatem tribuit; ſed putabat ambo in tempore a Deo producta fuiſſe, quem Deum eminenter vocat Θεὸν, *Deum*; ἕνα Θεὸν, *unum Deum*; δημιουργὸν, *mundi opificem*; ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ παντὸς, *univerſi creatorem & patrem.* Hæc largiùs tractantur in diverſis *Platonis* libris, præſertim in *Timæo.* Eamdem ſententiam de Deo uno tuebatur *Ariſtoteles.* Quid plura? Gentilium enim ſapientiſſimi uno conſenſu crediderunt, unam eſſe mentem æternam, quæ ex ſeipſa conſtat, quæque omnia finxit & regit. Nec plures tales mentes æternas unquam admiſerunt: licèt enim plures Deos agnoverint, tamen crediderunt omnes procreatos & genitos fuiſſe ab illa mente æterna & Deo ſupremo, quem diverſis nominibus expreſſerunt, ut ſignificarent vel ejus attributa, vel opera, vel officia; quia repugnat, plures eſſe mentes infinitas, æternas, omnipotentes, quæ a ſeipſis ſunt & conſtant, neque genitas, neque interituras. Has autem perfectiones Ethnici Philoſophi vulgò Numini tribuerunt, ut inde liqueat, unum ſolum Deum cœli & terræ opificem & moderatorem eos admiſiſſe. Hæc con-

confundit *Adeiſidæmon*; nil de illa mente æterna & perfectiſſima; nil de illa natura præſtantiſſima, ſapientiſſima, potentiſſima, hominum generi admiranda & ſuſcipienda, ut ait *Cicero de Divinat. lib.* II. quam & alii Gentiles ſuſcipiebant; quam a mundi machina, & ab aliis Diis ſic nuncupatis accuratè ſeparabant; & a qua univerſam rerum naturam, ne ipſis Diis inferioribus exceptis, originem accepiſſe credebant. Denique nil niſi Polytheïſmum, ſuperſtitionem, & corruptelam fuiſſe Ethnicorum religionem vult *Adeiſidæmon*; ut nimirum inde efficiat, unius ſupremi Numinis ſapientiſſimi notionem hominum animis a natura non eſſe inſitam, ſed fictam & artificioſam eſſe; ſiquidem tot Deos majeſtate & naturæ præſtantiâ pares finxerint Gentiles: attamen ſatis ſuperque probavi, ut puto, illam Deorum turbam non fuiſſe mentes æternas perfectiſſimasque, ſed Heroas aut Semideos, ab ipſo *Jove* ſupremo procreatos, quorum animi, ob præclarè facta, vel ob beneficia in genus humanum collata, divini facti credebantur. His autem mox dictis de cauſis *Adeiſidæmon* alto ſilentio premit illam vulgarem Gentilium opinionem de Deo ſupremo, ſapientiſſimo, potentisſimo, omnium creatore & dominatore, contenditque eorum religionem totam & per ſingulas partes meram fuiſſe veſaniam, & corruptionem Pantheïſmi, vel potiùs Atheïſmi, quem naturalem, primigeniam, & antiquiſſimam fuiſſe religionem abſurdè cenſent *J. Tolandi* ſimiles, a qua homines defecerunt ad Polytheïſmum, diverſis mundi mechanicè diſpoſiti partibus in numina mutatis. Attamen aliter ſenſerunt Ethnicorum ſapientiſſimi, & inter abſurdiſſimarum impiarumque ſuperſtitionum deliria non ita oc-

cæca-

cæcatæ ſunt eorum mentes, ut omnem religionis ſenſum prorſùs abjecerint; quin adhuc retinuerint notionem ſupremi Numinis, a quo omnia orta ſunt, cuique omnia parent. Hæc non erant confundenda ab *Adeiſidæmone*, niſi velit religionem & ſuperſtitionem ad eamdem libram redigere, & utrâque ſublatâ Atheïsmum reducere; quæ a *J. Tolandi* propoſito non multum abeſſe videntur, quæque ipſi tribuere non deſinam, donec ipſe deſipere deſierit, & ab omnium religionum injuſta & temeraria cenſura deſtiterit.

Cap. VIII.

In quo defenditur Religio Chriſtiana, ut & Judaïca.

I. Sed licèt Ethnicæ religionis cauſa deſperata foret; tamen id de Religione Chriſtiana, aut, ſi malit, de Religione Judaïca, nunquam concedemus. Fateor quidem, Judæos in idololatriam non rarò defeciſſe, nefandisque ſuperſtitionibus & innumeris corruptelis Religionem a *Moſe* inſtitutam deformaſſe, prout patet ex illius gentis hiſtoria ab ipſo *Moſe* & inferioribus Prophetis tradita, ut & ex Novo Teſtamento, ubi *Chriſtus* ſæpiſſimè exprobrat Judæorum ſuperſtitionem & hypocriſim in minutiſſimis Legis Ritualis cærimoniis retinendis ſervandisque, dum ſanctiſſima Legis Moralis præcepta non curabant. Attamen nunquam penitùs periit inter illos vera Religio, multò minùs libri, in quibus continebatur, & ex quibus reformari, priſtinæque γνησιότητι aut puritati reddi poterat. Imò, quidquid deliraverint, tamen unius ſummi Dei omni-

mnipotentis, cœli & terræ opificis notionem & cultum retinuerunt, ut nos docent ſacri Scriptores & illi exotici Auctores, qui res Judaïcas tractarunt. Idem dico de Religione Chriſtiana: dolendum eſt enim, multa falſa dogmata recepta, plures falſas traditiones, putidasque ſuperſtitiones, & idolomanias introductas fuiſſe, quæ ejus doctrinam & cultum corruperunt, quasque poſterioribus ſæculis penitùs ſuſtulit & repurgavit Reformatio. Attamen Religionis Chriſtianæ autographa non perierunt, ut autographa Religionis a *Numa* inſtitutæ comburi juſſit Senatus, licèt aliud innuat *Adeiſidæmon paragr.* 7. in comparatione, quam inſtituit inter Religionem Romanam & cæterarum gentium Religiones, quarum dogmata & cærimoniæ mutantur, dum nomina ſola manent. Nec unquam defuerunt teſtes & monumenta Religionis Chriſtianæ: omnes enim Martyres & Confeſſores ſuo ſanguine ſuâque conſtantiâ Doctrinæ Chriſtianæ veritatem cultusque religioſi ſanctitatem obſignarunt. Patres, tum Græci, tum Latini, eamdem veritatem propugnarunt, eam ſcriptis ſuis ad poſteros transmiſerunt; ejus dogmata & cærimoniæ colebantur in Eccleſiis Chriſtianis, ſaltem antiquioribus ſæculis. Nec infenſiſſimorum hoſtium odia, nec Hæreticorum deliria, nec Schismaticorum diſſidia, nec Antichriſti ejusque aſſeclarum improbæ artes illam lucem cœleſtem opprimere, illam veritatem Chriſtianam perdere nequiverunt. Præterea, quidquid Satanas, Antichriſtus, omnesque nominis Chriſtiani hoſtes moliti ſint, quidquid erraverint homines; nihilominus á Religione revelata penitùs nunquam deſciverunt, multò minùs Religionis naturalis dogmata & cultum deſeruerunt: nam unius ſummi

mi & æterni Numinis, cœli & terræ conditoris, ſenſum & cultum nunquam abjecerunt, ſed conſtanter retinuerunt: licèt ſuperſtitio inter Chriſtianos (proh pudor!) æquè ac inter Paganos turbam Dæmonum & Semideorum, Romanæ ſcilicet Eccleſiæ Divorum, ſenſim invexerit. Non accipiuntur his temporibus, nec unquam accepta ſunt pro veris, inter omnes Chriſtianorum Sectas, ea quæ tantùm ſunt veriſimilia, aut falſa & commentitia; non ab illis creduntur ſine diſcrimine ea quæ nuſquam comparent in Apoſtolicis ſcriptis; non venditantur inter Reformatos falſa miracula, & putida prodigia, nullâ prorſùs fide digna; non paſſa eſt Religio Chriſtiana eaſdem editiones & metamorphoſes, quas Religioni Romanæ affingit *Adeiſidæmon*; non perierunt Chriſtianæ doctrinæ dogmata, non præcepta, non cultus, non cærimoniæ. Illa omnia exſtant in ſcriptis Patrum, in ſcriptis acerrimorum nominis Chriſtiani hoſtium; inſcripta ſunt in fide & ſanguine Martyrum; tradita ſunt ab Hiſtoricis; ſervata ſunt inter Chriſtianos. Et ſi omnia illa monumenta periiſſent, manent incorrupta & illibata in ſcriptis Apoſtolorum, ex quibus omnes corruptelæ refici, omneſque ſuperſtitiones repurgari poſſunt & debent, & inſculpta ſunt in cordibus, in dictis factiſque genuini Chriſtianiſmi aſſeclarum. Traditur in Religione Chriſtiana fides ſanctiſſima, cultuſque caſtiſſimus unius ſupremi Dei, qui omnia mente & conſilio condidit, adhucque regit; ibidem traduntur miracula *Moſis*, viſa de cœlo, portenta divina, miracula *Chriſti* & Apoſtolorum; ea creduntur ſine væcordia & imbecillitate animi, (prout exprobramur ab *Adeiſidæmone paragr.* 8.) quia nituntur teſtimonio αὐτόπτων: ea acriori ingenio

genio accipiuntur pro veris, quàm exploduntur pro falſis, licèt refragante *Adeiſidæmone paragr.* mox citato. Hæc omnia miſcet & turbat *J. Tolandus*. Confundit omnes religiones ſecum. Confundit Religionem Chriſtianam cum Ethnica, imò cum Mahummedana. Confundit omnes Chriſtianorum ſectas. Confundit omnium illorum dogmata, ritus, cultusque religioſos. Confundit omnium hominum, omnium locorum & temporum religiones. Quid hoc eſt, quàm veram Religionem cum prava ſuperſtitione confundere? Quid quàm ipſam Religionem prorſùs e mundo tollere? An ſunt omnes Religiones meræ corruptelæ? An proceſſu temporis prorſùs immutantur, imò contrarias formas induunt, dum ſola nomina reſtant? Ergo nulla eſt Religio inter homines, nec unquam fuit. An ab ipſa origine periit Religio Moſaïca? An Chriſtiana? Ergo verus ſolus Deus nunquam agnitus ac cultus fuit, nedum cognoſcitur & colitur ab ullis hominibus. Attamen illum verum & ſummum Deum ſolâ mente intelligunt Chriſtiani & Judæi, eùmque colunt & ſemper coluerunt. Ubinam igitur vera Religio, ubi ſincera pietas, ſi hîc abeſt? Ubinam latet & unquam latuit veritas Religionis, aut Religio veritatis, ſi apud Chriſtianos æquè ac apud Gentiles & Mahummedanos, imò indiſcriminatim in omnibus temporibus & Religionibus pro veris accipiuntur & unquam accepta ſunt, quæ ſunt tantùm veriſimilia? Forſan in Atheïſmo; & hoc eſt, quod vult *Adeiſidæmon.* Si hæc Atheïſmum non ſapiunt, nil video, nil intelligo; & fateor mihi mentem eſſe maximè lævam, ſi falſum ſit, hanc totam *Adeiſidæmonis* orationem eò collimare, ut veram pietatem adverſus Deum tollat,

& ut Pantheorum religionem, hoc eſt, irreligionem, (ut Apulejanâ voce utar) inducat.

Cap. IX.

In quo defenduntur Religionum inſtitutores & ſacrarum legum latores.

I Nec religioſiùs ſentit de Religionum inſtitutoribus & legumlatoribus *J. Tolandus*; omnes enim fraudis & ſimulationis ſine diſcrimine arguit. Id aſſerit ex *Livio lib.*1.*cap.*XIX. de *Numa Pompilio* Romanæ legis & religionis auctore. Idem dicit ex probatiſſimis Scriptoribus de aliis legislatoribus, ut de *Lycurgo* Lacedæmoniorum, de *Minoe* Cretenſium legiſlatore. Idem affirmat de *Moyſe* Hebræorum nomothete, ex *Diodoro Siculo lib.* I. & ex *Strabone lib.* XVI. Hi omnes viri, cùm religiones & ſacra inſtituiſſent, commenti ſunt miraculum, ut injicerent metum ſuorum Deorum in hominum animos; hi omnes ſimulabant ſuas leges & dogmata accepiſſe a Diis, ne *Moſe* ipſo excepto. Hæc non improbat, imò approbat *Adeiſidæmon.* Si autem minima nobis ſupereſſet dubitatio, eam abundè eximit ipſemet *J. Tolandus* in *Origin. Judaïc.* ubi *Straboni* loco ſuæ *Geographiæ* mox adducto *Moyſem* cum prædictis aliiſque compluribus legumlatoribus & divinatoribus comparanti conſentit. Nil melius de *Chriſto* eum ſentire neceſſe eſt. *Si enim* (inquit *Chriſtus* ipſemet Judæis *Joh.* V: 46.47.) Moyſi *crederetis, mihi etiam crederetis; utpote cùm de me ipſe ſcripſerit. Quod ſi* Moyſis *ſcriptis non creditis, quomodo meis verbis credetis?* Quia veritas doctrinæ a *Chriſto* traditæ primùm nititur teſtimonio

monio *Moſis*; qui ſi fuerit deceptor, inde ſequetur, *Chriſto* noſtro nullam fidem deberi; eo quòd in propria cauſa ad mendaciſſimum teſtem provocet, & cum ipſo quaſi colludat, ut nimirum egregiæ fraudes hominibus imponantur. Quid ad hæc dicemus? Ergo omnes religionum inſtitutores unquam fuerunt impoſtores. Ergo *Moſes*, & *Minos*, & *Muhammedus*, & ipſemet *Chriſtus* (horrendo refero) fuerunt falſi Prophetæ. Ergo omnes Religiones ſunt impoſturæ. Ergo Religio eſt merum figmentum. Quid fiet de Religione Moſaïca? Quid de Chriſtiana? Hæc ſunt pulchra commenta vafrorum hominum juxtà *Adeiſidæmonem*. Iterum relabimur in Atheïſmum ipſo duce. Nec mirum, ſi tam impia ſapiat & inſinuare velit *J. Tolandus*: Athei enim cenſent, quidquid inter populos unquam receptum & habitum eſt loco & nomine religionis, id eſſe pulchrum commentum Politicorum & callidorum ingeniorum, ut homines nempè, auctoritate divinâ devincti, legibus ab ipſis prolatis libentiùs obedirent; quæ ſunt ipſiſſima *Adeiſidæmonis* verba *paragr.* 6. Attamen ab ipſo *Tolando* ejusque fratribus ſcire velim, quisnam fuerit illius pulchri commenti primus auctor? Quando ars illa tam bellè excogitata in ſubſidium Magiſtratuum & emolumentum Sacerdotum inventa fuerit? Quandoquidem plerarumque & præcipuarum artium diſciplinarumque inventores & initia memoriæ traduntur: multò magis nobis innotuiſſet & inventor & ætas tam utiliſſimi inventi, tam ingenioſæ artis, Religionis, inquam. Quomodo eam comminiſci, unde eam haurire noverint verſuta illa ingenia? Deinde quî factum eſt, ut omnes omninò gentes, imò ut omnes omninò homines (paucis tenebrionibus

& maleferiatis hominibus, ut *Epicuro*, *Spinoſa*, &c. exceptis) in tam portentoſo commento credendo nunquam non conſenſerint? Nam, ut *Cicero* habet *de Leg. lib.* 1. *paragr.* 24. *nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat.* Quomodo in tantam ſervitutem ſe redigi ſiverint omnes omninò populi? Quomodo tam inſignem & pernicioſam fraudem nunquam detexerint; vel ſi eam detexerint, quomodo tam duro jugo excuſſo ad priſtinam libertatem redire nunquam tentaverint? Si ex his & ſimilibus, quæ in hac controverſia jure meritò quæruntur, ſe expedire noverit *Adeiſidæmon*, profectò *erit mihi magnus Apollo:* niſi Atheorum partes deſerat, & ingenuè fateatur, Religionem hominum animis a natura inſitam eſſe, quam ſi nec in ſeipſis ſenſiſſent ipſimet ſimulatores, nec eam in aliis inveniſſent, ars ſimulandi ipſis nunquam fœliciter ſucceſſiſſet, multò minùs credulitatem vulgi in proprios uſus tam pulchrè convertere potuiſſent, vel Magiſtratus, vel ſacrorum inſtitutores, ut volunt Athei. Nec Numinis ſenſum & metum, in quibus fundatur Religio, unquam ſimularunt, aut ſimulare potuerunt illi legumlatores, & Religionum auctores, prout ſuperiùs *paragr.* 12. notavi de *Numa Pompilio*. Sed illo Religionis ſenſu, quo omnes homines teneri ſolâ naturâ duce noverant & ſenſerant, improbè uſi ſunt, ut ſuæ avaritiæ & ambitioni ſervirent, verſuti illi homines. Nec prætermittendum hoc loco, quàm parùm ſibi conſtent Athei? poſtquam enim inflatis genis dixerint, Religionem Politicorum eſſe pulchrum commentum, & artem ſubditos in officio continendi, aut quæſtum ex errore alieno

alieno faciendi; tamen alii volunt, Religionem Rebuspublicis ſummiſque Magiſtratibus maximè nocere; quia introducitur metus Numinis omnipotentis, Principum numine majoris, ſicque pellitur ex animis hominum metus legum ſummæque poteſtatis, quibus ſolis parere debent ſubditi, ne diſſolvatur corpus politicum. Quàm malè inter hos homines conveniat, nemo non videt. Indidem liquet, dum Religionis initia fraudi & commento adſcribunt, eos quælibet abſurda & inter ſe pugnantia comminiſci, nobisque obtrudere, hunc ſcilicet in finem, ut Numinis illius potentiſſimi & ſapientiſſimi metus cultusque e mundo exulent. Ideoque Magiſtratum, qui poſt naturam ipſis ſecundum eſt numen, in Religionem incitare non deſinunt; eamque ab omnibus hominum ordinibus abjici volunt, quia in ipſa origine falſa & commentitia eſt.

CAP. X.

In quo defenduntur ſacrorum Antiſtites.

Sed quas fraudes tribuit legumlatoribus in religionibus inſtituendis, easdem in illis retinendis & augendis exprobrat Sacerdotibus *Adeiſidæmon:* diverſis enim in locis, præſertim *paragr.* 14. 15. 16. ex *Livio* exponit Romanorum Sacrificulorum quæſtuoſas artes & pias fraudes in oſtentis & miraculis fingendis aucupandisque, ut nimirum ex conſultationibus, reſponſis, ſacrificiis, litationibus &c. tota Pontificum, Augurum, Flaminum, Haruſpicum turba quæſtum faceret. Necnon ſub finem *paragr.* 14. Sacer-

dotum ambitionem taxat, qui ſimilibus piis artificiis vulgi credulitatem augebant, propriamque auctoritatem firmabant; eo quòd *eorum arte & opere unicè averti poſſent infœlices prodigiorum eventus.* Et ab initio *paragr.* 15. obſervat, dum *Romani Imperii fines provehebantur*, *invectam eſſe portentoſam ſuperſtitionem. Inde autem* (addit *Adeiſidæmon*) *Gallicorum*, *Græculorum*, *Aſiaticorum*, *omniumque gentium a Romanis devictarum*, *in omnibus vicis & compitis Sacrificulorum fœda colluvies*, qui dum puriorem Deorum cultum obtendebant, in illa ſpecie pietatis ſuberat vile lucrum & malus dolus. Ut inde liqueat, *Adeiſidæmonis* cenſuram ad omnes Ethnicorum Sacrificulos ſpectare, imò ad omnium populorum & religionum Sacerdotes extendi. Nam eodem *paragr.* ex *Livio lib.* XXXIX. *cap.* XVI. his verbis adductis, *nil enim in ſpeciem fallacius eſt quàm prava religio*, tam præclari, tamque opportunè in ſuæ cauſæ ſubſidium occurrentis, effati admiratione captus, illicò exclamat, *Siccine quidem eſt!* & hujus ſententiæ confirmationem ex ipſius *Livii* teſtimonio aſſumit, qui *lib.* IV. *cap.* XXX. teſtatur, *multiplicem Religionem & pleramque externam corpora tabo confecta & animos invaſiſſe*, *ritus novos inferentibus in domos*, *quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi.* His vero comparat alios homines ſubdolos inter Chriſtianos, *qui* (notante Apoſtolo *Paulo* 2. *Tim.* III: 6.) *in domos irrepunt*, *& captas ducunt mulierculas peccatis onuſtas.* Tandem concludit: *Horum omnium pietas ars eſt*, *& reapſè nihil quidquam niſi purus putus quæſtus.* Iterum: *His otium certè negotium fuit.* Quid inde colligemus? *Adeiſidæmonem* ſcilicet nullis parcere ſacrorum Antiſtitibus: eos verò omnes

omnes habere pro ſimulatæ pietatis oſtentatoribus & nundinatoribus. Ne autem nobis ullus relinquatur dubitandi locus, ipſemet *Adeiſidæmon paragr.* 16. addit, artem pias fraudes excogitandi in quæſtum, ad hominum animos terrore in obſequium ſubigendos, & in ſuæ auctoritatis incrementum & ſtabilimentum, *Livio lib.* VIII. pro teſte adducto; addit, (inquam) hanc artem *eſſe ipſiſſimam ſacratæ Sacrificulorum ſolertiæ hypotypoſim.* Hæc enim eſt generalis doctrina, quam *Adeiſidæmon* deducit ex uno piæ fraudis exemplo a *Livio lib.* VIII. *cap.* VI. memorato, qui ibidem ſubjungit: *nam & vera eſſe, & aptè ad repræſentandam iram Deûm ficta, poſſunt.* Iſta igitur *Livii* ſententia juxta *Adeiſidæmonem* continet vivam imaginem & deſcriptionem ſolertiæ omnium religionum Sacerdotum, qui optimè norunt artem miracula fingendi, hominumque animos & nummos ſuo imperio ſubjiciendi ope fabularum & terriculamentorum. Cui concinit Poëta Anglus, quoad Religionem attinet, *Tolandi* non abſimilis, quando proprio idiomate & ad modulos Anglicos ait,

Prieſts of all Religions are the ſame.

Hoc eſt, *Sacerdotes omnium Religionum ſunt uni iidemque.* Quapropter *Adeiſidæmon* ne verbum quidem facit de ullis ſacrorum Præſidibus, qui ab illis improbis artibus abhorrent & abſtinent, quique Religionem ex animo & ſine fuco colunt & tradunt. Sed a Romanis ad alios Ethnicos Sacerdotes, & ab Ethnicarum gentium Sacerdotibus ad Chriſtianos, aut Judæos tranſit: ut nimirum id diligenter intelligi velit, ſe eos omnes nullo diſcrimine habere: imò judicare, quotquot religionibus & ſacris præſunt & unquam præfuerunt omnibus locis & temporibus

eſſe improbos & doloſos homines, qui fraudibus religionis fatuum popellum decipiunt, & ex errore alieno quæſtum faciunt, nequidem *Moſe* excepto: nam *paragr.* mox memorato *Moſaïcum Maris Rubri tranſitum Adeiſidæmon* habet pro fraude pia, aut (ut ipſe loquitur) pro *ſacro ſtratagemate*; eumque idcirco comparat cum duobus aliis religioſis dolis: quorum altero uſus eſt *Scipio*, (referente *Livio lib.* XX. *cap.* XLV.) ut militibus animum adderet, ad ſtagnum trajiciendum, mœniaque Carthaginis in Hiſpania occupanda. Alterum vero tribuitur *Alexandro Magno* ab *Arriano lib.* II. quando fœliciter ſuum exercitum per mare Pamphylium transduxiſſet: licèt pro more ſolito iterum nobis fucum facere ſtudeat: quando ait, hanc comparationem inter tranſitum maris Pamphylii ab exercitu *Alexandri Magni* & tranſitum maris Rubri ab exercitu Iſraëlitico ſub auſpiciis *Moſis* inſtituere *Joſephum* perſonatum illum Judæum, quam ipſemet *Adeiſidæmon* perſonatus ille *Joſephus* inſtituit, ut nimirum hujus impiæ comparationis invidiam a ſeipſo in illum perſonatum Judæum avertat. Hinc autem apparet, quantum virus foveat & ſubinde evomat *Adeiſidæmon* in ſanctos Dei Servos, præſertim in *Moſem*: nam loco mox citato *Antiquit. Judaïc. lib.* II. *cap.* VII. *Joſephus*, quem contra omnium antiquorum commentariorum fidem *perſonatum Judæum* appellat *Adeiſidæmon*, non comparat tranſitum Iſraëlitarum per mare Rubrum cum tranſitu Macedonum per mare Pamphylium, ſi ad ejus verba propiùs attendamus. Sed poſtquam illud prodigium in Sacris Litteris memoratum divinæ gratiæ & potentiæ tribuerit Judaïcus ille Scriptor, deinde ſtudet hujus miraculi fidem facere

apud

apud exteras gentes, ex nonnullis exemplis opis divinæ vitâ periclitantibus mirum in modum latæ, quibus viam aperuit per mare Deus ter Opt. Max. & inter alia recenſet tranſitum Macedonum per mare Pamphylium, cùm Deus eorum operâ ad deſtruendum Perſarum Imperium uti decreviſſet, tandem concludit: Περὶ μὲν οὖν τούτων, ὡς ἑκάστῳ δοκεῖ, διαλαμβανέτω. *Sed de his, ut cuique libet, ita ſentiat.* Ibi autem videtur *Joſephus* utrumque tranſitum ad Deum referre, ſive id fecerit in miraculi modum, ſin verò per cauſas naturales: vel illa inexpectata & prodigii ſimilia, quæ apud exoticos Auctores traduntur de mari ab exercitibus ſicco pede trajecto, aliorum judicio relinquit, ut de iis credant quidquid velint. Dum certò certiùs affirmat ſuam gentem ſub auſpiciis *Moſis* miraculi inſtar per mare Rubrum tranſiiſſe. *Adeiſidæmon* verò tantum abeſt ut hos eventus Deo tribuat, quin potiùs ea omnia habeat pro piis fraudibus & ſacris ſtratagematibus. Itaque immeritò perſonam *Joſephi* induit *J. Tolandus*, ut nimirum ſuum odium in Religionem tegat larvâ aſſumptâ, quam ſæpiùs ipſi jam detraximus.

II. Sed redeamus ad ſacrorum Præſides & Antiſtites, quos omnes fraudis & avaritiæ in religionibus adminiſtrandis maximâ cum injuriâ inſimulat *Adeiſidæmon.* Fatendum eſt quidem omnium Ethnicarum religionum Sacerdotes innumeras fraudes & quæſtuoſas artes adhibuiſſe in munere fungendo & in oſtentis miraculisque comminiſcendis. Nec mirum, quia Religionem naturalem miſerrimè corruperant, & totus ferè orbis in craſſam inſcitiam & portentoſam ſuperſtitionem prolapſus erat. Licèt idem concedamus de falſis Prophetis apud Judæos, qui

Religionem à *Moſe* traditam mirum in modum deturpaverant. Licèt denique eamdem ſimulationem & avaritiam abundè prodiderint Papicolarum Pontifices & Sacrificuli, qui Religioni a *Chriſto* ejusque Apoſtolis acceptæ infinita commenta addiderunt. Tamen injuſtum eſt, hanc cenſuram ad Religionis, tum Judaïcæ, tum Chriſtianæ, Sacerdotes & Doctores extendere: niſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem, imò Sacrorum Codicum veritatem convelli; niſi totum genus humanum, omnibus locis & temporibus, erroribus & vafrorum ingeniorum fraudibus mancipatum eſſe; niſi omnes populos, imò omnes homines ratione, oculis, & auribus ſemper caruiſſe; niſi ſacrorum à Deo inſtitutorum normam penitùs periiſſe; niſi autographa Religionis Moſaïcæ & Chriſtianæ, quibus fraudes Sacerdotum detegi & confutari poſſint, intercidiſſe; niſi denique *Moſem* & *Chriſtum*, Apoſtolos eorumque ſucceſſores omnes fuiſſe impoſtores velimus; quæ nemo, niſi Atheus, dixerit. Nam fraudes ſemper concelari nequeunt, ſed tandem in lucem producuntur. Sic Gentilium ſapientiſſimi Sacrificulorum ſuorum artes improbas & fraudes non raro detegunt, imò deteſtantur. Pariter apud Judæos Sacerdotum falſorumque Prophetarum mendacia & corruptelas ſæpiùs exponunt & exprobrant ſancti Prophetæ. *Chriſtus* ejusque Apoſtoli & Evangelii Præcones fideliſſimi, tum Reipublicæ Judaïcæ Sacerdotum, legis Doctorum, Scribarum, Phariſæorum &c. malos mores, hypocriſim, & avaritiam, tum Ethnicorum Sacrificulorum impoſturas & malas artes retegunt & reprehendunt. Denique inferioribus ſæculis Reformatores ut Romanæ Eccleſiæ errores & idolomanias fortiter oppugnarunt, ſic ejus Ponti-

Pontificum & Sacerdotum vile lucrum & malos dolos ex latebris ſuis in lucem produxerunt; ita ut ſua miracula crepare non ampliùs auſint, & eorum Simoniæ modus impoſitus ſit. Hæc tradunt ſacræ & profanæ litteræ. Hæc quotidiè fiunt. An *Moſes* Religionem & miracula commentus eſt? Annon hæc edidit, illam verò inſtituit in propatulo coram amicis & inimicis? An potuit tam egregiè imponere toti genti Ægyptiorum & Hebræorum? Quis credat, 600000. hominum cum illo Nomothete clanculum conſenſiſſe, ut ejus legum & ſacrorum durum jugum ipſis imponeret? Annon continuò in eum inſurrexerunt, qui ſi minimam fraudem ſuboluiſſent, ejus imperium & religionem libentiſſime abjeciſſent? Nemo facilè ſibi perſuadebit *Moſem* clandeſtinum fœdus cum fratre pepigiſſe de quæſtu faciendo ex Religione, ſi ſemel perpenderit, eos ſuæ tribui & familiæ nullum aliud alimentum & reditum reliquiſſe præter quasdam partes ſacrificiorum & frugum primitias, avaræ gentis precaria & ſpontanea dona. An Sacerdotum reſponſa Regum conſiliis ſemper concinebant? Annon ſæpiùs eos increparunt, aut eorum ſcelera cohibuerunt? An ſancti Prophetæ lucrum quærebant ex credulitate & imbecillitate vulgi, qui in precibus, jejuniis, meditatione & lectione Sacrarum Litterarum vitam auſteram tranſigebant? Quis ſanæ mentis putet, fraudes pias fabricatos eſſe *Chriſti* Apoſtolos, qui, eorum hoſtibus conteſtantibus, ſimplicitate & probitate morum inclaruerunt, qui ſanctiſſima præcepta juſtitiæ & veracitatis tradiderunt, qui diriſſimas pœnas in mendacium & avaritiam ſanciverunt? An ſacra & doctrinam compoſuerunt ad nutum Principum & in ſubſidium Magiſtratuum, qui illos ſanctos viros odio inter-

internecino ubique proſecuti ſunt? An apud primævos Chriſtianos ſacrorum Præpoſiti lucrum fecerunt ex Religione, cujus docendæ, defendendæ, & propagandæ cauſâ triſtiſſimas ærumnas, imò ipſam mortem alacriter obierunt? An eſt Religio Reformata politiæ in totum adaptata? An in verbi divini Præconum emolumentum concinnata, quorum ſtipendia plerisque in locis ad aſſem usque definita ſunt? An eſt horum pietas ars & purus putus quæſtus? An vendunt ſacra? An falſis miraculis & fabulis anilibus vulgus imperitum decipiunt, niſi pias conciones de Deo & *Chriſto*, de noſtri Salvatoris ejusque Apoſtolorum miraculis, de pœnis & præmiis poſt mortem commenta eſſe velit *Adeiſidæmon*, qui, niſi me fallat mens, id non diffitebitur? An fraudes & mendacia aucupantur ii, qui populo nudam veritatem ex Sacris Litteris exponunt? An qui auditores ad illam veritatem indagandam adhortari non deſinunt, ne quidquam in dogmatibus & præceptis religioſis credant, quod Scripturæ & ſanæ rationi repugnat? An inter illos & Magiſtratus convenit de ſuperſtitionibus intrudendis, & de ſubditis artificioſè in officio continendis; quandoquidem ambo totis viribus connituntur ad omnes pravas religiones eliminandas, & ad ſinceram pietatem inducendam, ut omnibus hominum ordinibus proſit vera Religio, & ſanctiſſimus Dei cultus? Ubinam igitur ſunt tot & tantæ fraudes & nundinationes omnium religionum Sacerdotum, & eorum qui ſacris præſunt & unquam aut usquam præfuerunt, nequidem Judæis, Chriſtianis, & Reformatis (qui redivivi ſunt Chriſtiani) exceptis, ab *Adeiſidæmone* tam confidenter decantatæ & tam audacter exprobratæ? Nullibi, ut puto, exſtant,

exſtant, niſi in deliris Atheorum cerebellis, & in Religionis hoſtium ſcommatibus & convitiis; hujus enim generis homines ſacrorum Præpoſitos calumniis conſpurcare, & quævis probroſa turpiſſimaque in eos comminiſci & evomere ſolent, ut ipſorum mala fama Religioni dedecori & detrimento vertat. Itaque Clerum fallaciæ & avaritiæ inſimulant, ut tantæ fraudis ipſos Sacerdotes, & tantæ imbecillitatis (Religionis, inquit Atheus) populum tandem pudeat, & tum Religio, tum Religionis Præſides & Defenſores in terras incognitas ablegentur, & in æternum exulent. His de cauſis *Adeiſidæmon* eos, qui ſacris præficiuntur & unquam præfecti ſunt, ſine diſcrimine condemnat; omnes habet pro ſubdolis ingeniis & Religionis improbis mangonibus. Confundit Gentilium Sacrificulos nefarios Hebræorum Sacerdotibus. Comparat *Moſis* ſolertiam cum pia fraude *Scipionis* & *Alexandri Magni*. Confundit Judæorum & Ethnicorum falſos Prophetas & Divinatores Chriſtianorum ſacrorum Præpoſitis. Confundit Chriſtianos Doctores Antichriſtianis. Apud Reformatos verbi divini Præcones & Pontificiorum Sacrificulos nullo diſcrimine habet. Quid hoc eſt, quàm ipſam Religionem ad fraudes referre? Quid quàm Religionem ſuperſtitione, veritatem mendacio confundere? An hæc væcordiam & improbitatem Atheorum redoleant, necne, judicent æqui Lectores.

C A P.

Cap. XI.

In quo Religionis cultores defenduntur.

I. Eòdem redeunt, quæ populo Chriſtiano exprobrantur. Eum enim, quoad ſuperſtitionem & credulitatem attinet, cum Gentilibus ubique comparat *Adeiſidæmon. Maximi certe faciebat talia* (*nimirum præſagia & oſtenta*) *vulgus Romanum*, inquit ille; *utinam* (addit idem) *& Chriſtianum dicere non poſſem! paragr.* 14. & *paragr.* 12. ubi agitur de diverſis portentis a *Livio libb.* XXI. XXIV. XXVII. virgulâ cenſoriâ notatis, eo quòd a vulgo credebantur & multiplicabantur, vult, ut curioſi ſecum agnoſcant, *ſemper idem fuiſſe omni ævo vulgi ſuperſtitioſi ingenium*; quorum verborum ſenſum repetit *paragr.* 21. ad calcem, ubi ſermone facto de cometis, eclipſibus &c. quæ pro miraculis divinis habentur, illicò ſubjungit: *Tam probè inde ſciremus idem fuiſſe humanum genus, & utcumque mutet rerum nomina, proprium tamen nunquam mutaturum ingenium.* Et *paragr.*8. aſſerit Chriſtianos, ut ſilentio prætereat Gentiles & Mahummedanos, pro traditionibus Apoſtolicis credere, quæ nullibi in eorum ſcriptis comparent, & pro veris accipere, quæ tantùm ſunt veriſimilia; quod attinet ad præſagia & miracula; de quibus diſſerit *Adeiſidæmon* hoc in paragrapho; imò ſanioris judicii laude exornat *Livium* præ ipſis Chriſtianis, quia rectiùs judicavit de miraculis, oraculis, prodigiis ſuæ ætatis & religionis, quàm Chriſtiani de ſuis; ea enim habuit tantùm pro rebus merè naturalibus, & quæ

ad ſcenæ oſtentationem aptiora erant quàm ad fidem. Denique *paragr.* 5. ſine ambage dicit, Chriſtianos ſuperſtitioſiores eſſe in præſagiis, miraculis, oſtentis, numine, religione &c. credendis, quàm ipſe *Livius*, qui licèt Ethnicus, tamen omnia ea ſacra & religioſa pro nullis habuit. Primò, invidioſa eſt illa comparatio, quam inſtituit *Adeiſidæmon* inter imperitum & profanum vulgus, quod ab Apoſtolo *Paulo* 1. *Cor.* x: 20. dicitur ſacrificare ipſis Diabolis, & vulgus Chriſtianorum, quorum nomen & religio, ſi nullâ aliâ re excellerent, longè ſuperant quidquid eximium prædicatur de Gentilibus. Nec, ſi *J. Tolandus* verè Chriſtianus foret, ſuos ſymmyſtas (aut religionis ſocios) illis gentibus, quæ Deum non norunt, & quorum ipſi ſapientes *Rom.* 1: 22. dicuntur ſtulti, unquam miſcuiſſet, nullo diſcrimine adhibito, præterquam quòd Chriſtiani ipſis Ethnicis hebetiores & inſaniores ſint. Itaque injuſta eſt hæc cenſura. Ipſis Gentilibus injurius eſt *Adeiſidæmon*; licèt enim Romanorum aliarumque gentium Ethnicarum vulgus maximè credulum & ſuperſtitioſum fuerit: tamen vix mihi perſuaderem, totam tantamque multitudinem prorſùs approbaſſe omnia illa præſagia, oſtenta, prodigia &c. quæ a Sacrificulis, aut a Politicis venditabantur, quæque ex *Livio* ſummatim repetit *Adeiſidæmon* ſub initio *paragr.* 14. Nec ullus dubito, quin plures fuerint, qui illas pluvias lapideas & ſanguinolentas, illos urbanos lupos, corvos ſacrilegos, bovis & infantis loquelam, templa fulminibus icta, & uno verbo multiplicem ſuperſtitionem pro commentis & fabulis anilibus habuerunt. An inter *illos bonos*, (referente *Livio lib.* XXV. *cap.* 1. & probante *Adeiſidæmone paragr.* 15. *pag.* 38.) quorum ſecre-

ta

tæ indignationes exaudiebantur contra pravas illas religiones, quæ quotidiè invehebantur & graſſabantur, nullus fuit ex vulgi ordine? An nobiles, an docti, an Philoſophi erant, quotquot illas ſuperſtitiones proſcribebant? Saltem Stoïci, Philoſophorum Ethnicorum non infima ſecta, & Deos, & ſacra, & oſtenta, & oracula ſine diſcrimine probabant; ut liquet ex *Cicerone de Divinat. lib.* I. Sed *Adeiſidæmon* ejusque ſimiles cum *Horatio* dicunt, *Odi profanum vulgus*; ejusque credulum & ſuperſtitioſum ingenium exſecrari & exſibilare ſolent, ut nimirum judicii & ſapientiæ laudem ſibi ſolis ſervent; ut nobiles, doctos, & ſapientes in ſuas partes trahant, ipſisque creent Religionis nauſeam & contemptum, eo quòd imperito & imbecilli hominum generi, ut mulierculis & plebeculæ ſolis, ea placeat. Nec *Adeiſidæmonem* decet antiquiora & meliora tempora infimis & teterrimis confundere; a primis enim rerum primordiis nulla fuit ſuperſtitio, vel ſaltem nullomodo comparanda illi multiformi ſuperſtitioni, quæ proceſſu temporis totum fere terrarum orbem invaſit. In Sacris Litteris nulla fit ſuperſtitioſi cultus mentio ante tempora *Taræ Abrahami* patris; & quamvis diebus *Noa* totum genus humanum in nefarios mores prolapſum eſſet, terraque violentiâ & iniquitate plena foret; nihilominus nulla illi generationi exprobratur Religionis primævæ corruptio. Superiùs locum adduximus ex *Plutarcho* in *Vita Numæ Pompilii*, ubi tradit a gentis & urbis Romanæ jactis fundamentis usque ad 170. annum nulla fuiſſe Deorum ſimulacra in templis, Deumque fuiſſe intellectum & cultum tanquam numen, quod nec ſenſibus percipi, nec imaginatione concipi, nec manibus fingi poſſet. Ipſemet

Li-

Livius lib. III. *cap.* LVII. approbat illa tempora, in quibus *religiones colebantur piè magis quàm magnificè*; hoc eſt, ſine illo ſumptuoſo & inutili apparatu, quem ſuperſtitio & veræ Religionis corruptio invexit. Ergo nec eodem modo,nec eodem gradu, *omni ævo ſuperſtitioſum fuit vulgi ingenium.* Sed craſſa inſcitia genuit credulitatem, utraque verò invexit ſuperſtitionem, & quò magis a primorum hominum traditione & a priſcorum ævorum ſimplicitate diſſita erant tempora, eò magis auctæ ſunt pravæ religiones; ut taceam hominum ingenium, qui ſenſibus mancipati ſunt, & a rebus ſenſilibus imprimis tanguntur & afficiuntur, imò juſta divinæ iræ judicia, ob gentium ingratum animum, quas ſivit in ſuis viis ambulare. Horum hominum, harum ætatum diſcrimina miſcet *Adeiſidæmon:* & quia compertum habet nullo non tempore religioni deditum fuiſſe genus humanum, ideo affirmare non dubitat, ingenium vulgi omni ævo fuiſſe ſuperſtitioſum, hoc eſt, omni ævo fuiſſe religioſum; vel, ſi *Adeiſidæmoni* hoc concederemus, vulgus ſcilicet Romanum, & in genere vulgus Ethnicorum ita fuiſſe credulum & ſuperſtitioſum, ut omnia miracula, oſtenta, oracula, omnesque pravas religiones ſemper magni fecerit: annon multò pejores & nequiores erant nobiles & docti, qui illa commenta fraude Sacerdotum & ſubtilitate Magiſtratuum excogitata *approbare ſe ſimulabant, quia Reipublicæ ſalutaria ipſis videbantur*? ut ait *Adeiſidæmon paragr.* 6. *pag.* 12. Quaſi verò falſa religio impiumque mendacium populo decepto, craſſæque inſcitiæ & ſuperſtitioni ab hominibus ſubdolis mancipato, unquam ſalutaria & profutura eſſe poſſint! De quibus plura deinceps. Hos autem

ſimulatores non reprehendit, imò ipſis plaudere videtur *Adeiſidæmon*, dum vulgus immanem in morem exprobratur & exſibilatur. Nemo non videt hoc in loco tergiverſari *Adeiſidæmonem*; quia nimirum omnibus religionibus invidet *J. Tolandus*, artemque ſimulandi in religione patria, vel illorum locorum & temporum religionibus, quibus vivitur, approbandis, loco prudentiæ & ſanioris judicii habet: dum vulgus rude & immanſuetum deteſtatur, eo quòd religiones colat, & quælibet divina magni faciat: donec illud tempus *J. Tolando* optatò advenerit, quo exſecrandi vulgi Religio e mundo exulabit; Religio verò & Reſpublica Atheorum ubique locorum prævalebit, quod Deus ter Opt. Max. avertat, &, ut perſuaſum mihi habeo, ſemper avertet.

Cap. XII.

In quo vulgus Chriſtianorum defenditur.

Sed miſſis Gentilibus, redeo ad Chriſtianos, quibus multis modis injurius eſt *Adeiſidæmon*. Non equidem diffiteor, imò doleo Chriſtianorum credulitatem & ſuperſtitionem, quæ pluribus in locis & temporibus exſtitit, quæque hæc noſtra tempora pertingit. Nec ullus unquam negabit, triſtiſſima ferreaque Eccleſiæ Chriſtianæ fuiſſe ſæcula, quibus mille impoſturis ſe illudi, innumeraſque ſuperſtitiones ſibi obtrudi ſivit vulgus Chriſtianum. Sed, ſi ipſa Chriſtianiſmi primordia repetamus, & ad ipſos fontes redire liceat, cuivis patebit primævos Chriſtianos a ſuperſtitione abhorruiſſe & abſtinuiſſe; *ipſi*

enim

enim perſeverabant in doctrina Apoſtolorum & in ſacræ Cœnæ obſervatione, ut traditur de ipſis primis Chriſtianæ Eccleſiæ initiis *Actor.* 11: 42. Nec falſa miracula, nec pravi & ſuperſtitioſi cultus, nec Sanctorum legendæ, nec hujusmodi commenta & piæ (ferè dixiſſem impiæ) fraudes credi & graſſari cœperunt ante tempora illius *ſceleroſi & improbi*, *cujus adventus* (prout prædixerat Apoſtolus *Paulus* 2. *Theſſ.* 11: 9. 10. 11.) *ſecundum Satanæ efficaciam erit cum omni falſorum prodigiorum*, *portentorum*, *miraculorumque genere*, *cumque omni ſcelerum fraude conjunctus*; *apud perituros quidem*, *quoniam veritatis amorem*, *quo ſalvi fierent*, *non admiſerunt*. *Propterea mittet eis Deus vim erroris tantam*, *ut credant mendacio*, *quo damnentur*, *quicumque veritati non crediderint*, *ſed ſceleribus delectati fuerint*. Sed illa putida mendacia jamdiu repudiavit, & Antichriſti erroribus & tyrannidi nuntium remiſit pars Chriſtianorum non contemnenda. Et ipſorum Pontificiorum non paucos pudet illorum commentorum, fabularumque anilium, quæ inter eos venditantur. Nec tam abſurdum & fabulis deditum eſt Papicolarum vulgus, quin multorum oculi quotidiè aperiantur, & Papæ fraudibus & erroribus valedictis, Reformationi nomen dent; imò illorum, qui in caſtris Antichriſtianorum adhuc remanent, animi ſuperſtitione & fabuloſâ credulitate ſunt magis defæcati his temporibus, quàm ante beata Reformationis tempora. Nec ſi nequiores ſint, & nullâ ratione excuſari poſſint Pontificiorum illi, qui talibus fraudibus & erroribus credunt: tamen neſcio annon ipſis injuria fiat, quando ſine ullo diſcrimine cum impiiſſimo & fœdiſſimo vulgo comparantur. Sed quidquid delirent Papicolæ, tamen

men injuſtum eſt, eadem deliria tribuere primorum ſæculorum Chriſtianis, & inferiorum temporum Chriſtianis redivivis, Reformatis dico. An ipſi quævis abſurdiſſima pro veris & certis accipiunt? An falſis miraculis ſe decipi ſinunt? An fabulis anilibus delectantur & terrentur? An ipſorum animi ab infantia erroribus vulgaribus & præjudicatis opinionibus, quod ad religionem attinet, maturè imbuuntur? An eſt eorum cultus ſuperſtitione & puerilibus ritibus obrutus? Omnes norunt eorum diſciplinam, mores, educationem, religionem, præcepta. Quid ſimplicius eorum cultu religioſo? Quid purius eorum doctrinâ? Quid ſanctius eorum dogmatibus? Quid magis ab imperitia & imbecillitate alienum, quàm eorum mores & educatio? Aut, ſi ſuperſtitioſi & fabulis dediti ſint Reformati, neceſſe eſt ipſum *Chriſtum* ejusque Apoſtolos illorum erroris & ſuperſtitionis auctores fuiſſe; gens enim Reformatorum, ut & primævorum Chriſtianorum nil credunt, nil docent, nil colunt præter ea, quæ a *Chriſto* & Apoſtolis ipſis tradita ſunt. Sed, dicet *Adeiſidæmon*, terrentur eclipſibus, cometis, ſpectris, lamiis, &c. ſed illuduntur a ſagis & hujusmodi incantatoribus, qui artem Magicam jactitant. Ipſemet *Adeiſidæmon* novit, quàm pauci talia faciant Reformati, imò pleræque Chriſtianorum Sectæ, præſertim apud Anglos & Batavos. Nec eos novi qui eclipſibus terreantur; multò minùs qui cometas pro divinis miraculis habeant, præter pueros & timidulas mulierculas; & ſi illis rebus moveantur nonnulli, quid hoc tanti eſt, ut cum profano & ſuperſtitioſiſſimo Ethnicorum vulgo comparentur? An tam abſurda horum ſuperſtitio, ut cachinnis & convitiis excipi mereatur?

ut ipſe *Adeiſidæmon* exclamet, *Tam pudenda aliquando eſt humanæ naturæ in ipſa ſenectute puerilitas! paragr.* 13. *pag.* 33. Annon ſunt errores his pejores, annon ſuperſtitiones multò exitioſiores? Cur prætermittit *Adeiſidæmon* errores in dogmatibus, ſuperſtitionem in cultu, ludibria in cærimoniis religioſis? Quid putet de iconolatria; de ſacræ Cœnæ adoratione; de reliquiis Divorum; de peregrinationibus religionis cauſâ? Quid de pravis & indignis conceptibus de Deo, ejusque natura & attributis, unde multi errores & pravi mores ſæpiùs naſcuntur? Annon ſunt hæc magis damnoſa & pernicioſa, quàm ut ſilentio prætereantur; præſertim ſi Chriſtiani vulgi errores & ſuperſtitioſum ingenium in conſpectu ponere, illisque malis idoneam medelam apponere velit *Adeiſidæmon.* Quis unquam audierit, Chriſtianorum vulgus, nullo diſcrimine habito locorum, temporum, ſectarum hominum, æquè ac vulgus Romanum magni ſemper feciſſe pluvias lapideas & ſanguinolentas, corvos ſacrilegos, lupos urbanos, pentapodas equuleos, & talia monſtri ſimilia, ut vult *Adeiſidæmon paragr.* 14. *pag.* 33. 34. Sed Chriſtiani, præſertim Reformati, Religionem colunt, Numen metuunt; pœnis & præmiis poſt mortem futuris moventur; *Chriſto* & Apoſtolis fidem adhibent; eorum miracula & prædictiones pro veris & indubiis accipiunt. Deum varia oſtenta & prodigia præter naturæ modum & vires hominibus oſtentaſſe, & adhuc oſtentare potuiſſe, vel ad metum incutiendum, vel ad bonorum ſpem erigendam, credunt Chriſtiani noſtrates multò certiùs quàm Pagani ſua putida prodigia, puerilia oſtenta, & ambigua oracula colebant. Hac de cauſa ſunt Chriſtiani fatui & ſuperſtitioſi: imò ſtultiores &

ſuperſtitioſiores ipſo Gentilium vulgo, vel ſaltem *Livio*, qui hæc omnia nihili faciebat *paragr.* 5. *pag.* 6. *Nec mirum videri debet (ut verbis Livianis utar*, inquit *Adeiſidæmon paragr.* 16. *pag.* 43.) *rem quamcumque prodigii loco ab illis habitam, qui omnium ſecundorum adverſorumque cauſas in Deos verterent.*

II. Itaque impia eſt illa comparatio & cenſura, quam in Chriſtianos adhibet *Adeiſidæmon*: ipſo enim judice, ut jam liquidò patet, cultus Religionis, metus Numinis, credulitas in omnibus ſecundorum & adverſorum cauſis in providentiam divinam vertendis, fides miraculorum & oraculorum *Moſis*, *Chriſti*, ejusque Apoſtolorum, ſpes præmiorum & metus pœnarum poſt mortem, pius ſenſus curæ & potentiæ ſummi Numinis in prodigiis & viſis cœleſtibus ad homines miſſis, & adhuc mittendis, ſi iis opus eſſet, hæc & ſimilia divina, quæ Chriſtiani, imprimis Reformati, colunt & venerantur, ſunt eorum inſaniæ & ſuperſtitioſi ingenii indicia, ſi impiæ *Adeiſidæmonis* ſententiæ adſtipulandum ſit. His de cauſis comparatur vulgus Chriſtianum cum Romano, confunditurque Ethnico, quod ſuam ſtultitiam & ſuperſtitionem abundè prodidit in metu Deorum ſuorum, in ſenſu Numinis cœleſtis, quod rebus humanis intereſſe videbatur, in prodigiis putidis credendis, in oſtentis ludicris aucupandis, in fide fraudibus Sacrificulorum adhibita; ſimilem fatuitatem ſimileque ſuperſtitioſum ingenium oſtendit Chriſtianorum vulgus in iis omnibus credendis & colendis, quæ divina dictitantur inter ipſos, ſi *Tolando* credamus.

Cap. XIII.

In quo defenduntur miracula & res præternaturales.

Denique, ut hunc locum claudamus, Religioni inſidiatur *Adeiſidæmon*, quando ſeria & ſevera ludicris & abſurdis, quando ſacra & divina profanis miſcet. Sagas enim, lamias, lemures, ſpectra, genios, ut & prodigia, miracula, præſagia in uno eodemque rerum ordine ponit; quæ tamen magno diſcrimine habenda ſunt: Horum quidem pleraque referri debent, vel ad fabulas aniles, vel ad terriculamenta puerorum & mulierculárum, vel ad fraudes vaſrorum ingeniorum, vel ad deliria Fanaticorum, vel ad vanas ſpecies obverſatas oculis & animis morbo hypochondriaco & melancholico affectis, aut ad terrores panicos; hoc eſt, ea plerumque adſcribenda ſunt, tum imbecillitati, tum nequitiæ hominum. Nihilominus hæc omnia merè humana & naturalia, putida commenta, aut morbidorum animorum & corporum deliria eſſe nullo modo cenſere debemus. An primò dicemus nulla eſſe nec unquam fuiſſe in rerum natura ſpectra, genios, & ſimilia? Quid tum fiet de Dæmonibus malis & bonis? Quid de Angelis & Diabolis? Quid de eorum apparitionibus & operationibus, quæ frequenter leguntur in profanis, præſertim verò in ſacris Litteris? An Angeli, qui viſi ſunt Patriarchis & Prophetis, imò toti genti Iſraëliticæ, qui cum ipſis collocuti ſunt, qui eos monuerunt? an ille Angelus, qui gladio confecit Ægyptiorum primogenitos? an alter, qui

Aſſyriorum exercitum unâ nocte profligavit? an hæ omnes viſiones fuerunt vel mera phantasmata, vel impoſturæ? Ergo ruit veritas tentationis *Chriſti* a parte Diaboli *Matth*. IV. Ergo nulli unquam fuerunt Dæmoniaci & a Diabolo cruciati. Ergo *Moſes*, Patriarchæ & Prophetæ, *Chriſtus* & Apoſtoli delirarunt, aut nos fefellerunt. Ergo ſacrorum codicum Scriptores nobis egregi imponunt, & fabulis anilibus aut impiis fraudibus nos illudunt. Quis credet, unum Scriptorem, dummodo ſe monſtret veritatis ſtudioſum, multò magis plures Scriptores, qui diverſis & diſſitis temporibus vixerunt, unà colluſiſſe, ut dubiis ambiguisque vocibus phraſibusque nos deciperent. Nunc taceo auctoritatem divinam, quia mihi cum Religionis hoſtibus res eſt; nam in utroque Scripturarum Canone Angeli dicuntur ſpiritus, aut boni, aut mali; Angeli lucis opponuntur Angelis tenebrarum; ſancti Angeli Spiritibus immundis; Angeli Domini Angelis Diaboli. Hi verò nominantur ſpirituales malitiæ, quæ ſunt converſibilia cum malignis ſpiritibus; hi ſunt Angeli apoſtatæ, qui a ſua prima origine defecerunt. Ambo mittuntur a Deo ad ſuam voluntatem apud homines exſequendam; ambo patiuntur & agunt, afficiunt & afficiuntur. Ab hominibus diſtinguuntur; etenim alteri illis opitulari, illos corroborare, & cuſtodire; alteri verò iis nocere, eos tentare & perdere dicuntur. Jubemur reſiſtere Diabolo, ut fugiat a nobis: vereri verò præſentiam Angelorum in noſtris conventibus ſacris. Illorum Princeps dicitur Diabolus, qui eſt etiam Princeps poteſtatis aëris, Princeps tenebrarum, Princeps hujus ſæculi. Ipſi invadunt hominum brutorumque corpora, ea torquent, ea ab uno loco in alium trans-

transvehunt. Quid plura dicam? nam (ut de ſolis Diabolis loquar) ipſis catenis detinentur, puniuntur, cohibentur, mittuntur, ejiciuntur, fugantur; ſupra vires humanas, imò præter modum corporum agunt: ut liquet exemplis ſuperiùs memoratis de Angelis deſtructoribus, qui graſſati ſunt inter Ægyptios & Aſſyrios. Hæ autem & ſimiles appellationes, actiones, & affectiones perſonales liquidò oſtendunt eſſe in rerum natura Angelos & Diabolos; eos eſſe ſubſtantias, imo ſubſtantias incorporeas: eosque ab hominibus ſæpiſſimè viſos, & in his varia oſtenta exhibuiſſe. An hæc nomina, an hæ voces, an hæ loquendi formulæ, quibus utuntur veteris & novi Teſtamenti Scriptores, quando de illis Spiritibus diſſerunt, eaque illis tribuunt quæ mox enumeravimus, & multò plura, ullo alio quàm ſenſu proprio accipi poſſunt? dummodo his teſtibus credere fas ſit; quod nemo, niſi quis multis modis injurius eſſe velit, unquam recuſabit: nam corpora ex. gr. ſubtilia & aërea, imò tenuiſſima, (ſi ſpiritus ſic interpretari ipſis placeat) nec ſunt bona, nec mala; nec ſunt ſancta, nec immunda; nec nocere, nec opem ferre hominibus poſſunt: multò minùs reliqua dici debent de ſubſtantiis corporeis. Quid putemus de illorum Spirituum vi & actionibus, quæ in conſpectu hominum & in ipſorum corporibus ſæpiſſimè oſtenſæ ſunt? An hæc omnia tribuemus, aut morbis, aut deliriis? Quid magis abſurdum & injuſtum? Ergo Ægyptiorum & Iſraëlitarum animi morbo melancholico ita turbati ſunt, ut falſò crediderint prioris gentis primogenitos periiſſe gladio vindicis Angeli? Vel ſi illorum juvenum ſtrages reverà obtigerit, eamque reipſâ crediderit utraque gens; an ſibi perſuadere un-

quam potuiſſent hanc cladem illatam eſſe a vi hominum & corporum? Quis eò dementiæ procedet, ut credat, quibus viſa de cœlo apparuerunt, quibusque Dæmones adſtiterunt, eos omnes, vel terrore panico perculſos, vel morbo melancholico tabefactos, ea videre & audire ſibi perſuaſiſſe, quæ nec videbant, nec audiebant, ſed quæ tantum erant perturbatæ aut morbidæ mentis vanæ imagines? Inde ſequetur, Prophetas Apoſtolosque, imò omnes illos ſanctos viros, qui divinitùs ab Angelis admoniti ſunt, vel melancholicorum deliria, vel perterritorum perturbationem paſſos fuiſſe. Sic ipſemet *Chriſtus*, vel mente captus, vel metu correptus & perturbatus, falſò imaginatus eſſet, ſe a Diabolo tentari. Ergo melancholicus animi habitus, aut inſaniæ æſtus tantas vires addidit illi Dæmoniaco, in quo erat legio ſpirituum immundorum, (ut refertur a *Marco cap.* v.) ut nemo eum vinculis domare & cohibere potuerit, & ut catenæ & vincula, quibus vinctus erat, diſrupta fuerint ab illo furioſo homine; vel *Chriſtus* ejusque Apoſtoli tanto ſcotomate tum mentis, tum oculorum tacti ſunt, ut hominem inſanum aut melancholicum pro Dæmoniaco ſtolidè habuerint. Ergo atra bilis, aut furor repentè ex illo homine furibundo exivit, & gregem duorum millium porcorum invaſit, eosque in lacum præcipites dedit. Mira ſanè narrantur de melancholia! portentoſa profectò hujusmodi triſtis humoris & habitus effecta! Tantam vim tantamque contagionem atræ bilis aut furoris eſſe nunquam credidiſſem, nec ullus Medicorum, ut puto, ſibi perſuaſiſſet, niſi Atheorum gens ea tam nova & tam inaudita nos docuiſſent. Hæc inventa debentur illorum ſolertium hominum ſagacitati.

Hæc

Hæc ſunt oſtenta & prodigia *J. Tolandi* ejusque ſimilium, dum omnia ſpectra & Spirituum apparitiones exſibilant & tollunt. Nec dubitandum, quidquid obblaterent maleſeriati homines, quin præſtigiis, ſpectris, & oraculis Ethnicos ſæpiſſimè illuſerint; quin illas gentes, quæ Diabolos colebant, quæque Diaboli regnum nuncupantur, terrere & torquere variis modis improbi & maligni illi genii ſoliti ſint, & pace *Vandalii*, aliàs *van Dale*, *J. Tolando* olim, dum viveret, neceſſarii & familiaris, in oraculis fundendis apud Gentiles fraudibus Sacrificulorum, addam fraudes Diabolorum, præſertim quia ſunt callidi & malitioſi Spiritus; quia invidiâ & odio in genus humanum flagrant; quia terras peragrare, locum inter homines mutare dicuntur, & ab exoticis & a ſacris Scriptoribus deſcribuntur. Hæc ſubjicere volui, ut inde liqueat, genios, tum bonos, tum malos, in rerum natura exſtare, eosque hominibus non raro viſos, & oſtenta, quæ modum agendi corporum, imò ipſorum hominum, longè excedunt, ſæpiùs exhibuiſſe; eorum autem Spirituum apparitiones & opera invidioſo *ſpectrorum* nomine exprimit *Adeiſidæmon*. Nec mirum: ipſius enim ſummi Numinis (ut ſuperiùs notavi) notionem & metum eâdem probroſâ appellatione afficiunt Athei, ita ut ipſis ſit & dicatur omnium ſpectrorum triſtiſſimum & teterrimum. Nec hoc loco prætereundum, quàm iniquus in Religionem ſit *Adeiſidæmon*, quando *oſtenta miraculis neceſſariò annumeranda eſſe cenſet paragr.* 8. *pag.* 22. licèt enim miracula oſtenta dici poſſint, quia rarò eveniunt, in rerum natura oſtenduntur, & mentes hominum admiratione & metu percellunt: tamen vice versâ oſtenta non ſunt miracula propriè dicta, quia hæc

hæc totius rerum naturæ vires & modum ſuperant, ut mortuorum ſuſcitatio; illa verò minimè. Oſtenta quidem unius aut alterius naturæ, ut hominis, ut corporis, vim excedere poſſunt, omnium verò naturarum neutiquam. Sic apparitiones, & ſpectra, aut operationes Dæmonum ſunt oſtenta, quæ terræ incolarum vires excedunt. Diabolus autem oſtenta illa operari poteſt; eum verò miracula edere poſſe nego, idque neget quivis bonus & pius, qui novit hæc eſſe opera Numinis omnipotentis, quod naturæ modum mutare & ſuperare poteſt, eo quòd eum ipſemet conſtituerit. Sed ea conſultò miſcet *Adeiſidæmon*, ut efficiat, nil diſcriminis intereſſe inter oſtenta, miracula, portenta, prodigia; ſed ea omnia eſſe vana ſpectra, vel fraudes ſubdolorum hominum, vel cerebri deliria. Eumdem in finem miracula confundit *Adeiſidæmon*; eaque ad prodigia, præſagia, ad ſagas, lamias, lemures, ſpectra, genios, aliaque monſtri ſimilia, *quæ ab ignaris & incultis incolis propenſè admittuntur*, referre non detrectat, ut patet ex *paragr.* 13. cum ſuperioribus collato. Miſcet igitur ſacra profanis, ludicra ſeveris. Confundit apparitiones Spirituum ſpectris quibuſlibet, lamiis, lemuribus, quæ ſunt ridicula. Confundit miracula, quæ apud Chriſtianos creduntur, illis portentis, quæ accipiuntur pro miraculis ab ſtolidiſſima & credula plebecula. Confundit miracula *Moſis*, *Chriſti*, ejusque Apoſtolorum, miraculis & oſtentis Gentilium. Ita inſaniunt & in Religionem proterviunt immanes illi Titanes, qui cœleſtibus bellum indicunt.

CAP.

Cap. XIV.

In quo probatur Adeiſidæmonem *tollere Spiritus incorporeos.*

Emenſo jam tertio noſtræ Defenſionis loco, ex quo abundè liquet, ut puto, Religionem ſuperſtitione ubique confundere *Adeiſidæmonem*; cum ſcilicet in finem, ut omnibus Religionibus & fraudis & ſtultitiæ nota inuratur, & ut ſincera pietas malè audiat apud homines, exuletque e mundo. Nunc pergo ad quartam argumentorum ſeriem, ex quibus efficere conabor, eum veram Religionem tollere, ejusque fundamenta & cauſas evertere: negat enim Spiritus incorporeos, ideoque Deum eſſe, hominumque animos immortales eſſe; negat pœnas & præmia poſt mortem; explodit ſummi Numinis providentiam metumque; quæ inter præcipua & primaria veræ Religionis capita recenſeri debent. Primò, *repudiat Spiritus incorporeos J. Tolandus.* Ex iis, quæ ſuperiore paragrapho diſſeruimus, ex parte conſtat noſtrum hominem eſſe πνευματομάχον, & πνευματοφόβον: eſt enim δαιμονιομάχος, aut (ut cum ipſo loquar) eſt reverà *Adeiſidæmon*, ſi ad hujus vocis originem attendamus; eo quòd genios malos & bonos explodit, & quæ Dæmonibus tribuuntur, ea phænomena habet pro rebus merè naturalibus, nec aliud eſſe credit præter fraudes vafrorum hominum, aut vana phantasmata, ludicraque ſpectra. Mox patebit, cum ulteriùs progredi, animique ſenſum confidentiùs profari: nam *paragr.* 9. *pag.* 23. ſatis apertè oſtendit, Spiritus incorporeos omninò ſe rejicere; licèt

licèt pro more ſolito alium inducat, qui hanc ſententiam tenebat. Sed hæc non moror: primò enim tales larvas . datâ occaſione, aſſumit *J. Tolandus*; jamque ſæpiùs obſervavimus, eum, ſi quid invidioſum & Religioni abſonum inſinuare velit, illicò mutare perſonam, invidiæ deteſtandæ causâ; imò ſub initium noſtræ Defenſionis oſtendimus, hanc totam *Adeiſidæmonis* Diſſertationem eſſe veram larvam, vel opus dramaticum, (venia voci) ubi imprimis *Livius*, deinde *Diodorus Siculus*, *Strabo*, *Joſephus*, hoc verò in loco Presbyter Eccleſiæ Anglicanæ, aut illius Presbyteri & *Tolandi* amicus, ut & alibi alii interlocutores, diverſas perſonas agunt & ſcenam mutant, in ſubſidium *Adeiſidæmonis*, & in Religionis damnum. Præterea ille, qui *Spiritus incorporeos rejiciens* inducitur, *Tolando* & Presbytero (quem maximè miror amicitiam cum Atheo coluiſſe, & ipſius impiâ confabulatione uſum eſſe) familiaris fuit. Suo autem ex conſortio cujusque mores dignoſcuntur. His adde, *Adeiſidæmonem* nullomodo improbare ſui familiaris amici ſententiam; quod proculdubiò feciſſet, ſi Religionis ſenſu ad minimum tangeretur: eo quòd neſcire nequeat, ſublatis Spiritibus incorporeis, tolli omnem Religionem: inde enim ſequitur nullum eſſe Deum, nec hominum animos eſſe immortales &c. Denique tantum abeſt, ut amici Spiritus incorporeos rejicientis opinionem reprobarit *Adeiſidæmon*, quòd potiùs eam approbat: ipſi quidem ſuccenſere videtur, utpote qui alias, neſcio quas, intelligentias corporeas admiſerit, aut qui putus putus Atheus non fuerit: licèt, ut hoc in tranſitu dicam, plures Athei, quemadmodum *Strato*, omnesque Stoïci, & ipſemet *Epicurus*, Deos corporeos eſſe finxerint,

rint. Attamen hunc *amicum Spiritus incorporeos rejicientem*, & alterum virum Presbytero Eccleſiæ Anglicanæ, cui hanc Diſſertationem dedicat *J. Tolandus*, non ignotum, & *providentiam divinam* ſub nomine probroſo *anus fatidicæ* cum *Epicureis deridentem*; utrumque, inquam, comparat *Adeiſidæmon* cum *Livio paragr.* mox memorato: ut enim hic laudatur, eo quòd Religionem patriam, omneſque Deos, omniaque præſagia, oſtenta, & miracula ſusque deque habuerit, aut (ut ipſemet *Adeiſidæmon* eodem loco habet) eo quòd nec Chriſtianus, nec Gentilis fuerit; pari jure illi laude digni cenſendi ſunt ab *Adeiſidæmone*, quia tam profana & impia in Numinis providentiam & Spiritus incorporeos evomere auſi ſint. Aliàs hîc loci non convenirent exempla allata, nec ſibi conſentanea eſſet comparatio, quæ a *J. Tolando* inſtituitur inter illorum virorum triadem; licèt eos conſequenter ratiocinari neget ipſemet *Adeiſidæmon*, aut ejus amicus; quia quidquam admiſerint, quod eorum hypotheſi nullomodo conſonum eſſet. Inde autem apparet, quanti Religionem faciat noſter cenſor? Athei enim id imprimis ſtudent, ut Spiritus incorporeos e natura rerum deturbent, & ut oſtendant nil niſi corpus aut materiam eſſe; quibus confectis, ruit tota Religio, omniſque Numinis ſenſus & cultus exploditur; ſic pœnæ & præmia poſt mortem in mera ſpectra evaneſcunt. Ideoque varia convitia eructant, pluraque comminiſcuntur, quæ in hoc præcipuum, & ut ita dicam, primum Religionis caput objiciunt, ut id ſcilicet efficiant, nullos eſſe Spiritus incorporeos. Sed quàm injuſtus & abſurdus ſit hac in parte Atheïsmus, mox patebit; naturam enim eſſe incorpoream probare conabor,

nabor, tum ex auctoritate, tum ex rationis humanæ vi.

Cap. XV.

In quo probatur dari Spiritus incorporeos teſtimoniis Philoſophorum.

Primò major & ſanior Ethnicorum Philoſophorum pars (ut Judæos & Chriſtianos taceam) aliam naturam præter corpus & a corpore diverſam eſſe ſtatuunt, eamque definiunt ἀμεγεθῆ, ἄποσον, ἀμερῆ, ἀδιαίρετον, hoc eſt, *magnitudine, quantitate, partibus carentem, & cujus partes nec dividi poſſunt, nec a ſe invicem diſtant.* *Plato de Leg. lib.* x. affirmat, animum vel ſpiritum, & quidquid in cogitatione involvitur, exſtitiſſe ante latitudinem, longitudinem, & profunditatem corporis, προτέρα (inquit ille de illa natura cogitante) μήκους σωμάτων, καὶ βάθους, καὶ πλάτους. In Dialogo, qui inſcribitur *Timæus*, hanc vocat pravam imaginationem, qua ſomniatur, quidquid locum & ſpatium non occupat, & nec in cœlo, nec in terra eſt, nihil eſſe. Et alibi diſſerens de Deo, quem vocat *magnum pelagus boni* aut *pulchri*, πολὺ πέλαγος τοῦ καλοῦ, ait eum nec eſſe in cœlo, nec in terra, nec ullibi; ſed exiſtere in ſeipſo, & ſecum ſolus; omnia verò bona aut pulchra de ipſo participare. Magiſtri *Platonis* veſtigia premit *Ariſtoteles*: nam ſub finem *Phyſic.* concludit, primam cauſam moventem, aut primum motorem, (Deum ſcilicet omnipotentem) neceſſariò carere partibus & magnitudine, nec poſſe dividi, nec moveri; quia, pergit ille, nulla eſt magnitudo infinita; finita verò

verò non poteſt habere vim infinitam, quam ille Philoſophus primo motori tribuit. Iterum in *Metaph.Part.*XIV. *cap.*VII. aſſerit manifeſtò liquere, eſſe æternam ſubſtantiam a ſenſilibus ſeparatam, quæ nec moveri nec dividi poteſt, quia partibus & magnitudine deſtituitur. Et *de Anim. lib.* 1 *cap.* III. tradit eſſe alias incorporeas naturas, quæ partium & quantitatis ſunt expertes, ὥσπερ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, *ut mens humana.* Idem aſſerit de anima mundi, & ibidem vult animas, aut mentes, nec eſſe in loco, nec moveri: vel ſi moveantur, ita fieri per accidens, quatenus moventur cum corpore, aut corpus ab ipſis movetur. Et *Simplicius* eamdem ſententiam confirmat ex *Ariſtotele*, ita ut quidquid loco circumſcribitur & movetur, ſit corpus; naturæ verò incorporeæ nec locum occupent, nec moveantur, quia ſunt motus cauſæ, vel aliæ res corporeæ ab ipſis moventur. Annon *Porphyrius*, Philoſophus illuſtris Phœnix & Pythagoricus, in *manuductione ad intelligibilia*, aut ἀφορμαῖς πρὸς τὰ νοητὰ, ait corpus eſſe in loco, quod verò eſt incorporeum ἀσώματον, non eſſe propriè in loco, quia locus intelligitur tantùm relatè ad magnitudinem & molem; pariter affirmat, *Deum*, *mentem*, & *animam*, Θεὸν, νοῦν, ψυχὴν, *non exiſtere hîc aut illic, ſed Deum eſſe in ſeipſo, alia verò in Deo vel in anima mundi.* Sic *Cicero de Nat.Deor.lib.*1.*paragr.*25.tradit *Thaletem Mileſium, qui primus de natura Deorum & rerum principiis quæſivit, putaſſe Deum eſſe mentem.* Et *de Leg. lib.*1 *paragr.*22.23. hæc habet: *Homo eſt a ſupremo Deo generatus; eſtque animal ſolum rationis & cogitationis particeps, cùm cætera omnia expertia ſint. Nihil eſt ratione melius, eaque & in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis ſocietas.* Ibidemque *paragr.*24.

F di-

diſtinguit corpus humanum ab animo, qui *a Deo ingeneratus eſt*, vocaturque *divinum munus.* Corpus verò, & alia quibus homines cohærent, eſt *materia ſparſa & ſata in terras*, *& a mortali genere ſumpta*, ſuntque *fragilia & caduca.* Denique *de Leg. lib.* II. *paragr.* 8. tradit, *ex ſapientiſſimorum ſententia legem eſſe æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi prohibendique ſapientiam, hancque eſſe mentem Dei.* Et ex illa principe lege manavit lex & norma juris & injuriæ, quæ in hominibus confecta eſt. Ex his autem & ſimilibus locis conficitur, eam ſententiam, quâ aſſeritur aliam eſſe præter corpus naturam, eamque a corpore toto genere diverſam, incorpoream ſcilicet, non eſſe recens & novum inventum, ſed a priſcis temporibus creditam, & a primorum optimorumque Philoſophorum choro receptam eſſe: ipſi enim unanimi conſenſu admittunt ſpiritum, & ne ſpiritum pro ſubtiliore corpore accipias, (ut delirant Athei) illam naturam definiunt ἀσώματον *incorpoream*, ἀκίνητον *immotam*, ἀδιαίρετον *indiviſam*, ἀδιαστηματικὴν *quæ ex partibus a ſe invicem diſtantibus non componitur*; quæ omni magnitudine, extenſione, partibusque caret; quæque loco & ſpatio circumſcribi nequit; eaque ipſis dicitur νοῦς aut ψυχὴ, *mens* aut *anima*, quæ ſenſus, vitæ, rationis, cogitationis, conſilii, ſapientiæ particeps eſt. Imò hanc naturam ſeparant ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν *a ſenſilibus*; illamque diſtinguunt ab altera natura, quæ ab ipſis definitur σῶμα *corpus*, σωματικὴ *corporea*, αἰσθητικὴ *ſenſilis*, διαστηματικὴ, *quæ ex partibus a ſe invicem diſtantibus conflatur*: quæ extenditur, dividitur, movetur; quæque figurâ, loco, ſpatio circumſcribitur. Hujus autem mentis vel naturæ incorporeæ, quæ ab omni extenſione,

di-

dimenſione, partibus, figurâ, motu, & loco abhorret, quæque nil aliud præter cogitationem & vitam capit, prima & optima eſt divina; quæ a *Cicerone de Nat. Deor. lib.* II. ſub initium vocatur *mens præſtantiſſima*: & ab *Ariſtotele* loco ſuperiùs memorato, νοῦς ἀΐδιος *mens æterna*, παντοκράτωρ *omnipotens*, ἄπειρος *infinita*; mens præpotens, dominator rerum, omnia nutu regens; princeps ratio, veritas, juſtitia, ex qua manavit mens humana, tanquam ſcintilla ex illo immenſo Sole juſtitiæ, aut tanquam rivulus ex illo inexhauſto fonte luminis & ſapientiæ, & cum qua homini eſt rationis, conſilii, & prudentiæ ſocietas: quæ a ſeipſa & in ſeipſa eſt; ex qua verò & in qua omnia ſunt, præſertim ſpiritus incorporei, quorum locus eſt Deus ipſe. Itaque *Plutarchus de Placit. Philoſoph.* *Thalete* Ionicorum, *Pythagora* Italicorum, *Platone* verò Academicorum Philoſophorum Sectæ principe, in unam eamdemque ſententiam conjunctis, addit, οὗτοι δὲ πάντες οἱ προτεταγμένοι ψυχὴν ἀσώματον ὑποτίθενται φύσει λέγοντες αὐτοκίνητον καὶ νοητὴν οὐσίαν, *hi omnes principes Philoſophorum* (ideoque eorum Scholæ & Diſcipuli) *definiunt & ſupponunt animam eſſe incorpoream*, *aſſerentes eam ex natura & ſponte ſua moveri*, vel quæ in ſeipſa habet principium vitæ & actionis, *& ſubſtantiam eſſe intelligentem* aut *intelligibilem*, quæ ſolâ mente intelligitur oppoſitè ad corpora.

II. Ipſemet quidem *Epicurus* (æquè ac *Adeiſidæmon* ejusque amicus ſuperiore *paragr.* notatus) naturam incorpoream impugnabat, & qui per illam ἀσώματον οὐσίαν aliud quidquam intelligebant præter corpus tenue & æthereum, eos ſtultitiæ & vanitatis inſimulabat; quia (ut ille arguit) omnis natura incorporea neceſſariò ca-

ret ſenſu, fœlicitate, & prudentiâ, quæ affectiones in Dei notione includuntur; ideoque concludebat nullum eſſe Deum incorporeum. Nec aliter ſentiebat de anima humana, quæ ſi foret incorporea, tum nec tangere, nec tangi, ideoque nec quidquam agere, nec pati poſſet, eſſetque inſtar ſpatii aut vacui, quod à corporibus penetratur & permeatur, nec ulli reſiſtit. Attamen ille σοφὸς, vel potiùs ἄσοφος, qui alios tam confidenter ſtultos dictitat, ipſemet ſuam ſtultitiam prodit: ſibi enim ipſe non conſentit, & incautus naturam incorpoream ſtatuit duplici potiſſimum de cauſâ: primò enim quotquot *Ciceronem de Nat. Deor.* aut *Lucretium*, aut *Diogenem Laërtium* in *Vita Democriti*, aut *Epicurum*, aut his recentioribus temporibus *Gaſſendi* ſtrenuum *Epicuri* Defenſorem legerunt, norunt inter horum Philoſophorum placita non infimum eſſe *vacui* inventum, hocque ab ipſis haberi pro totius ſuæ machinæ philoſophicæ validiſſimo opifice, aut pro ſui ſyſtematis phyſici parte maximè neceſſaria, cujus ope ſimul cum atomis omnia rerum principia producuntur, omniaque phænomena explicantur & reſolvuntur. Attamen ipſe *Epicurus* illud vacuum deſcribit ut quidquam incorporeum; imò definit illam ſolam rem incorpoream eſſe in natura: nam id opponit corpori, quod tangere & tangi, quod repellere & repelli poteſt; vacuum verò minimè, ſiquidem corporibus penetrabile & permeabile eſt. Et mox eum audivimus aſſerentem animam humanam, ſi eſſet incorporea, (ut ſanioris philoſophiæ aſſeclæ putabant) ſimilem fore vacuo; hoc autem non multùm differt ab illo, quod incorporeum exiſtimant ii Philoſophi, qui ſpiritus a corpore diverſos ſtatuunt: ipſis enim

natura

natura incorporea nec tangere, nec tangi poſſe affirmatur, nec loco nec ſpatio circumſcribi. Præterea, ipſi Epicurei aſſerunt, vacuum nec eſſe corpus, nec corporis affectionem. Ergo eſt aliud a corpore toto genere diverſum, & vel illa ipſa natura, vel ejus modus & affectio; nam *Epicuri* aſſeclæ ſtatuunt tactilitatem & impenetrabilitatem eſſe de eſſentia corporis, quæ cum vacuo convenire negent; inde ſequitur vacuum eſſe incorporeum, & aliud eſſe præter corpus in rerum natura; ita ut Epicurei, dum naturam incorpoream explodunt, eam aliâ viâ incauti inducant; & pariter ex ſuæ philoſophiæ principiis colligi poſſit, ipſos πνευματομάχους habere notionem alterius naturæ a corpore diverſæ. Nec ſecundò ſibi ipſe conſentit *Epicurus*, quando introducit Deos ſuos monogrammos & pellucidos, qui (ut obſervat *Cicero de Nat. Deor. lib.* 1.) non ſunt corpus, ſed quaſi corpus; nec habent ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem. Sic enim ſtatuit ille Atheorum princeps Deos incorporeos, qui nec tangi, nec tangere poſſunt, quique idcirco aliud planè ſunt quàm natura corporea; licèt, ut id addam, hîc loci ludamur ab homine vafro, qui nullos Deos eſſe reverà credebat.

CAP. XVI.

In quo ex ratione probatur exiſtentia ſpirituum incorporeorum.

I. Sed quia major & callidior Atheorum pars vacuum, ut a *Democrito* & *Epicuro* tanquam quiddam a corpore diverſum ſtatuitur, reſpuunt; & illud vel quid merè imaginarium, vel ſi ali-

quid ſit & extra imaginationem exiſtat, illud corpus eſſe & in modum corporis extenſum eſſe contendunt: nam, ut notat *Ariſtoteles Metaph. lib.* I. *cap.* VII. φασὶν μίαν εἶναι τινα φύσιν, καὶ ταύτην σωματικὴν, *dicunt unicam eſſe quamdam naturam, eamque corpoream.* Idcircò argumentis ex rationis humanæ penu depromptis probare conabor, aliam eſſe præter corpus naturam, incorpoream ſcilicet. Primò talem eſſe naturam non repugnat: nil abſurdi, nil quod ſanæ rationi adverſetur, in illa admittenda deprehendo. Nec quia Adverſarii unicam ſubſtantiam ſtatuunt, inde neceſſariò ſequitur plures vel eſſe, vel eſſe potuiſſe. Quis enim conſtituit Atheos in hac lite judices? Quis unquam id concedet, ut *J. Tolandus* ejusque ſimiles ſubſtantiarum numerum ſoli definiant? An quia plures & ſapientiores ſunt aliis hominibus, qui ab ipſis diſſentiunt? Si de auctoritate certaretur, ſanè res confecta eſſet, & cauſâ certò certiùs caderent Religionis inimici, ut *cap.*XV.*paragr.*I. vidimus. Nec dicant naturam incorpoream ſenſibus percipi non poſſe, ideoque nihil eſſe: nam ſenſus & phantaſia non ſunt ſolæ facultates, quibus res intelliguntur, & quibus de rerum veritate, an ſint necne, judicatur. Annon *J. Tolandus* plura admittit, quæ nec ipſe, nec ullus hominum unquam ſenſibus percepit? Quis unquam vidit cogitationem? Quis manibus cepit volitionem, nolitionem? Rem infinitam ſolâ mente intelligimus. Ipſimet Athei ſpatium infinitum & extenſionem infinitam ſtatuunt. Ea autem & ſimilia, quæ ſenſus nullomodo afficiunt, reipſâ eſſe & exſtare creduntur. Denique, ſi materia, quæ (nequidem ipſis Atheis diffitentibus) naturâ ſuâ nil aliud eſt præter informem indigeſtamque molem, vitâ, ſenſu, cogitatio-

gitatione, & motu carentem, ſit &, ut volunt Adverſarii, ab æterno exſtiterit: cur multò plures ſubſtantiæ ſimul cum materia non conſiſtant, nulla poteſt dari idonea ratio? Multò minùs id negabitur de natura incorporea, quæ ipſo corpore perfectior & validior concipitur, cuique a natura inſitum eſt principium vitæ & agendi. Idcircò non repugnat aliam præter ipſum corpus eſſe ſubſtantiam: & vel a parte rei, vel a parte noſtrorum conceptuum minimè abſurdum & impoſſibile eſt, naturam exſtare incorpoream a corporea toto genere diverſam; imò veri non abſimile & maximè conſentaneum eſt, dari Spiritus incorporeos. Primò enim, ſi nulla datur ſubſtantia incorporea, ſi nil ſit niſi quiddam imaginarium, mirum ſanè & prodigii ſimile videtur, omnes gentes omneſque homines in illa natura ſtatuenda nunquam non conſenſiſſe. Unde factum eſt, ut docti & indocti, ut non ſolùm rude & imbecille vulgus, ſed & ipſi Philoſophi (ſi paucos Atheïſmi aſſeclas excipias) conſtanter admiſerint naturas incorporeas, & Dæmones, ſpectraque, animos hominum & alios Spiritus ab omni materia & mole liberos exſtare unanimi conſenſu crediderint? An ex metu exſtitit illa opinio? Ergo genus humanum omnibus locis & temporibus deliravit & inſanivit: illum enim dementia cepit, qui continuò ſibi imaginatur, illa extra ſe eſſe, quæ nullibi exſtant niſi in ſua phantaſia, quique indeſinenter turbatur a vanis terriculamentis, quæ mens delira & perterrita effinxit. Nec in hac re unquam colluſerunt homines: populi enim longis temporis & loci intervallis remoti, linguaque & moribus a ſe invicem alieniſſimi, quidquid in cæteris diſſenſerint, ii tamen conſtanter ſibi perſuaſum habuerunt

runt eſſe Spiritus incorporeos, quorum primus & maximus eſt *Deus*. Multò minùs fluxit illa opinio circa naturas incorporeas ex rebus corporeis, quibus nil eſt ſimile & affine cum Spiritibus. Quis putet illius naturæ, quæ ab omni magnitudine, partibus, & figurâ abhorret, & in qua nil aliud ineſſe intelligitur præter vitam & cogitationem, conceptum finxiſſe homines ex illa alia natura, quæ merè extenſa eſt, quæque loco & figurâ circumſcribitur, cùm hæc duo toto genere differant. Denique enim cuivis obverſatur notio illius naturæ cogitantis a natura extenſa & corporea planè diverſæ; quia absque corpore eſſe, & a corpore nullomodo pendere concipitur illa prior ſubſtantia, quæ nec eſt, nec eſſe poteſt ipſum corpus, aut corporis affectio; ita ut, ſi nullum foret corpus in rerum natura, nihilominùs facilè concipi & exſtare poſſet ſubſtantia illa incorporea. Sed de his mox paulò fuſiùs. Interim ex iis, quæ jam diximus, concludamus plus quàm probabile eſſe aliam præter corpus extra noſtram mentem exſtare ſubſtantiam, cui conſona & conformis eſt illa notio naturæ incorporeæ, quæ noſtris animis inſita eſt, illisque obverſatur, quandocumque volumus. Nec veriſimilius eſt, hanc opinionem circa Spiritus incorporeos mentes hominum unquam ſubiiſſe, niſi reverà exſtarent in rerum natura.

CAP.

Cap. XVII.

In quo probatur naturæ incorporeæ exiſtentia ab ejus notione.

I. Quid autem dico, maximè probabile & veriſimile videri, dari naturam incorpoream? imò, talem dari naturam, certiſſimum & extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe affirmo: quod breviùs probare conabor (vereor enim ne in hac re nimius ſim) argumentis ductis a notione, a natura, a facultatibus, operationibus, & paſſionibus ſubſtantiæ incorporeæ, præſertim mentis humanæ. Deinde a phænomenis. Denique pauca ſubjiciemus de æterna & præſtantiſſima mente, Deo ſcilicet. Primò (ut ſuperiore *capite* monuimus) omnium hominum animis inſculpta eſt notio naturæ incorporeæ & intelligentis. Cogitatio autem intelligitur ſola & ſeorſim absque extenſione, ut & extenſio absque cogitatione; & quidquid involvitur in notione ſubſtantiæ incorporeæ, illud excluditur ex notione ſubſtantiæ corporeæ & a re ipſa removetur; ita ut harum duarum ſubſtantiarum nil ſit commune. Unde ſequitur eas a ſe invicem neceſſariò diſtingui & toto generé differre: noſtri enim conceptus ſunt ſola norma, ad quam judicamus de rerum diſcrimine & conformitate, & quâ cernimus, quid res differant, quid verò conveniant? Res autem cogitans concipitur planè alia & diverſa eſſe a re extenſa. Altera extenditur in longum, latum, & profundum; altera verò omni magnitudine & dimenſione caret. Una dividitur in partes minores aut majores, men-

ſuratur longioribus aut brevioribus menſuris, vel digitis, vel pedibus, vel cubitis; ejus partes ſe invicem extrudunt, nec ſe penetrari ab aliis patiuntur; loco, ſpatio, & figurâ circumſcribitur & definitur. Altera ab omnibus partibus, magnitudine, & figurâ abhorret. An eſt cogitatio lata, longa, & profunda? An dividi poteſt in tres, quinque, decem, aut viginti partes? Num ipſi admovere novimus & valemus vel digitalem, vel pedalem, vel cubitalem, vel ullam aliam menſuram? Eſtne triangularis, quadrangularis, octogona? An illi ineſt medium, aut latus ſiniſtrum, aut dextrum? an ſuperius, aut inferius? an occidentale, aut orientale? an ſeptentrionale, aut meridionale? An diametro, punctis, aut lineis interſtingui & definiri poteſt? An una cogitatio craſſior, aut ſubtilior eſt alterâ? Nil minus; nec mente concipere poſſumus, cogitationem extenſioni neceſſariò inhærere; imò hæc illam omnesque ejus affectiones refugit. Vice verſâ, mens cogitat, vult, non vult; amat & odio habet; ſentit, vivit, & ipſi a naturâ indita eſt vis agendi & ſeipſam movendi. Nil horum poteſt corpus; quæ ſi conficere poſſe dicatur natura corporea, tum ſequeretur, lapidem ex. gr. ſuiipſius conſcium, conſilii, rationis, judicii participem eſſe, dolore aut gaudio affici, in ſeipſum redire, ſeipſum movere, vivere & agere maximè poſſe, quandocumque velit. Unde miror, cur lapides, arbores, domus, civitates, ipſamet terra, ipſaque corpora cœleſtia ſubinde de ſuo loco non deſilierint, & huc & illuc, dextrorſùm & ſiniſtrorſùm ſecum non tripudiaverint? Quæ non longè diſſonant ab illa comica & dramatica ſyſtematis mundi deſcriptione, quam ſuarum *Epiſtolarum* Anglicè conſcriptarum

ptarum quintâ ad amicum Spinoſiſtam datâ tradit *J. Tolandus*. Sed hæc ſunt abſurdiſſima & a natura corporis prorſùs aliena, ut & mens omnia, quæ corpus ſunt, aut corpori conveniunt & inſunt, omninò refugit. Quid inde? Annon liquidò patet, ea reipſà & neceſſariò diſtingui, quæ a ſe invicem diverſa eſſe clarè & diſtinctè intelliguntur? Annon toto genere diſcrepant illæ ſubſtantiæ, quarum natura, eſſentiæ, affectiones a ſe invicem toto cœlo diſtant & diſſentiunt? Quis ſanæ mentis dicet, illud eſſe corpus, in quo nil quod ſit corporis, imò nil quod a corpore non ſit prorſùs alienum, deprehenditur, vel illud eſſe mentem, quod quæ mentis ſunt & menti conveniunt, repudiat? Quòd ſi minima ſubeſſet dubitatio de illis duabus ſubſtantiis diſcriminandis & ſeparandis, tum nil certi eſſet, tum nullus relinqueretur judicandi locus; nam de rerum veritate & diſcrimine judicamus ex conceptibus noſtris; & ideo affirmamus equum non eſſe lapidem, quia aliud equum, aliud verò lapidem eſſe mente concipimus. Nec magis differt equus a lapide, homo a bruto, quàm mens a corpore, quàm ſubſtantia cogitans a ſubſtantia corporea. Nec hæc exiſtunt tantùm in mente & imaginatione noſtra, ſed etiam in rerum natura; non ſunt tantùm conceptus noſtri, ſed & ipſæ res. Ipſi enim Athei fatentur dari cogitationem, ſenſum, vitam, &c. licèt corporis affectiones, quæ ex corpore generantur & in corpus reſolvuntur, ea eſſe velint. Quæ quàm abſurda ſint, nemo non videt, & mox vidimus? Et ſi illa dari negarent, meliore jure negare liceret ullum dari corpus, præſertim cùm ſenſus ſæpiſſimè nos fallant, & cùm non tam in veritate indaganda & detegenda,

quàm

quàm in corpore noſtro tuendo & conſervando inſerviant. Præterea mox oſtendimus, mentem & cogitationem non eſſe de natura & eſſentia corporis, ſed ab ipſo corpore prorſùs diverſa. Concludamus igitur dari corpus & mentem, ſubſtantiam extenſam & ſubſtantiam cogitantem, illasque duas naturas toto genere differre. Deinde ſi nulla datur ſubſtantia præter corpoream, ſi illud, quod omni materiâ & extenſione immune dicitur & concipitur, nil ſit niſi purum merum figmentum, inde ſequeretur noſtras cogitationes eſſe quid negativum, hoc eſt, purum nihilum: in iis enim nulla percipitur & invenitur dimenſio, nullæ partes, nulla magnitudo, nulla figura. Idem dicendum erit de veritatibus, quæ vulgò vocantur Metaphyſicæ, ut, *Totum majus eſt ſuâ parte*, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, & ſimilia axiomata per ſe nota, ſimilesque notiones communes, quarum nullæ ſunt partes, nulla magnitudo, nullus ſitus, nullaque figura. His adde operationes & affectiones mentis, vitiaque & virtutes, ut volitio, nolitio; amor & odium; juſtitia, temperantia, & pravæ cupidines; doctrina, ſapientia, &c. quæ nec magnæ, nec latæ, nec longæ, nec profundæ, nec figuratæ, nec in loco ſitæ ſunt. Denique ſi ea, quæ mentis ſunt, quæ menti vulgò tribuuntur, quæque in mente eſſe clarè & diſtinctè percipiuntur, ſi ea, inquam, nec ſunt corpus, nec corpori convenire poſſunt; profectò inde ſequitur ipſam mentem non eſſe corpus, nec quid extenſum, ut corpus mens eſſe non poteſt, quia quæ ſunt corporis, quæque ejus naturam & eſſentiam conſtituunt, in mentem cadere nullo modo poſſunt.

CAP.

Cap. XVIII.

In quo naturæ incorporeæ exiſtentia iterum probatur ab ejus facultatibus.

I. Sed pergamus ad alium locum. Superiore *capite* oſtendimus, quid involvitur in notione mentis & animæ, quid cadit in naturam vulgò incorpoream dictam & creditam: nunc procedo ad vim agendi, ad modum intelligendi & patiendi ipſius mentis. Mox vidimus, quid per mentem intelligant omnes homines; jam videamus,, quid & quomodo intelligat & patiatur ipſa natura incorporea. Primò enim anima eſt ſui conſcia, ſeipſam novit, ſeipſam inſpicit, in ſuas cogitationes aciem ſuam convertit. Rudioribus & inſciis mentibus hæc nota ſunt, nec ullus hominum de iis dubitare poteſt. His adde, quòd hæc vis reflectendi (ut ita dicam) & ſeipſam penetrandi in notione mentis includitur. An corpus, cujus partes extra ſe invicem poſitæ & impenetrabiles ſunt, quia juxta Philoſophorum effatum *non datur penetratio dimenſionum*? an cera, an lapis, an truncus, an alia materiæ pars tantum valebit, ut ad ſeipſam reflectere, ut ſeipſam introſpicere, ut ſeipſam penetrare poſſit? Ergo non eſt extenſa, nec ejus partes ſunt longæ, latæ, & profundæ; nec locum ſuum & ſpatium ſingulæ neceſſariò occupant: quidquid enim eſt extenſum non ſinit ſe penetrari ab aliis, nec ulla pars materiæ ita poteſt ab alia abſorberi, ut illæ duæ partes ſimul junctæ non majores ſint alterutrâ; multò minus valet illa corporis portio ad ſeipſam penetrandam. Idem evincitur ex vi

vi & modo alias res intelligendi, quibus noſtra mens pollet: concipit enim res, quæ magnitudine, partibus, ſitu, figurâ carent, ut punctum mathematicum & indiviſibile, cogitationem, ſenſum, vitam, præſertim noëmata metaphyſica & communia, eſſentias rerum ab ipſis rebus abſtractas, ut eſſentiam corporis, animæ, hominis, bruti, &c. imò ipſa univerſalia, ut humanitatem aut naturam humanam in omnibus hominibus, naturam bruti in omnibus brutis, & ſic de cæteris. Pariter intelligimus res ipſas extenſas, non per modum extenſionis: conceptus enim ſpatii mille milliarium non occupat in noſtra mente ampliorem locum, quàm conceptus ſpatii unius milliaris, nec eſt notio univerſalis naturæ latior & longior notione ſingularis. Sed quî poteſt illud, quod magnum & extenſum eſt, quodque habet partes extra partes, capere quod nec extenſum, nec ullo modo dividitur, vel mente, vel actu? diverſæ enim res extenſæ ſe invicem capiunt per contactum, per locum & certam dimenſionem; nec poteſt dimenſio unius pedis continere dimenſionem mille pedum. Iterum quod dividitur in partes, ſuperficies, & menſuras capere nequit quod indiviſibile eſt; quia illa res, quæ nullomodo dividi poteſt, nec tangi, nec menſurari poteſt, ideoque nec in æternum ad aliam rem extenſam, quæ dividi & menſurari poteſt, unquam admovebitur, aut capietur. Ad ea autem peragenda & ad illas res capiendas valet noſter animus. Ergo non eſt extenſus. Ergo eſt aliud ab ipſo corpore prorſùs diverſum. Ergo eſt Spiritus incorporeus. Ergo datur alia natura præter corpoream & extenſam. Quis ſanæ mentis ſibi perſuadebit ex. gr. minimam ceræ particulam excipere eſſentiam aut conceptum eſſen-

eſſentiæ equi, vel cerebrum capere poſſe eſſentiam domus, montis, terræ, ſolis, &c. nam cerebrum (quidquid objiciant Athei) non eſt magis aptum ad illarum rerum eſſentias & conceptus capere, quàm ipſa cera; quia cerebrum eſt merum corpus, & ipſâ domo, monte, orbe terrarum, ſole, &c. multò minus. Sed anima illa omnia capit, introſpicit, & earum rerum adæquatos conceptus habet. Imò plures & innumeras ideas aut eſſentias rerum ſimul capit noſtra mens. Ergo ſunt illæ notiones quid incorporeum, quod non extenditur, quod non dividitur. Si enim corporeæ eſſent, non poſſent contineri in nobis. Ergo noſtra anima, quæ illas tot & tantas res incorporeas capit, eſt incorporea.

II. Præterea noſtra mens totum objectum ſimul & ſemel concipit; ut ex. gr. ſpeciem hominis cum omnibus ejus membris; ſpeciem domus cum omnibus ejus partibus. Si autem noſter animus corporeus, extenſus, & diviſibilis eſſet; tum quælibet pars, ſive hominis, ſive domus, afficeret tantùm partem illius extenſæ mentis; nec poſſent omnium illarum partium ſpecies conficere unam eamdem perceptionem; cùm tamen certum ſit, noſtram mentem capere ſimul & ſemel ſpeciem totius hominis & totius domus. Multò minùs poſſent illæ res earumque diverſæ partes inter ſe comparari & in unum punctum confluere; quia afficiunt diverſas partes a ſe invicem diſſitas, quæque permeari nequeunt; imò eſſent innumeri conceptus unius ejusdemque rei; nec eſſet unus homo una natura percipiens & intelligens, ſed infinitæ naturæ intelligentes & percipientes forent in uno eodemque homine: quæ & ſimilia abſurdiſſima ſunt. Idem affirmo de

ϛυμ-

συμπαθεία vel ὁμοπαθεία animalium, præſertim hominis, qui omnium animantium primum & præſtantiſſimum eſt: mens enim noſtra percipit dolorem, vel voluptatem, aliumve ſenſum in extremis & in omnibus corporis humani partibus ſimul & ſemel. Hæc autem ſenſa non poſſent uno eodem momento pertingere corporis extrema, nec transmitti a calce ad caput, a capite ad manus, a manibus ad reliquas internas & externas partes, niſi intùs habitet una ſimplex & indiviſibilis natura, quæ omnibus partibus & in omnes partes agit, non per extenſionem, ſed per modum perceptionis; quo ſenſu verum eſt effatum Philoſophorum, qui dicunt, *animam eſſe totam in toto corpore, & totam in qualibet parte corporis:* totus enim homo, vel totum ſuppoſitum, patitur dolorem, gaudiumve; omniaque membra ſibi invicem συμπάσχουσι & ſe invicem adjuvant; cujusmodi vis nullomodo convenit corpori, cujus plures ſunt ſubſtantiæ aut partes a ſe invicem ſeparatæ & diſtinctæ. Præterea ſenſus ille eſt cogitatio, cujus quilibet homo ſibi intimè conſcius eſt, ideoque non cadit in molem extenſam, latam, longam, & profundam, quæ ad ſe reflectere aut ſuas actiones ſentire nequit. Unde neceſſariò ſequitur corpus humanum incoli ab animo, in quo inſitum eſt principium vitæ & agendi. Denique diverſus eſſet ex. gr. ſenſus doloris in diverſis corporis partibus, quia diverſa eſt illarum partium textura: alia enim eſt pedis, alia manus, alia verò oculi natura, & (ut ita dicam) forma interior. Sic de cæteris. Unde neceſſariò orirentur diverſæ perceptiones doloris, prout hæc aut illa pars vulneratur; cùm tamen omnes homines norint & ſibi conſcii ſint, dolorem eſſe quid unum ſimplex

plex & individuum, quod eodem modo percipitur in diverſis partibus corporis; nec confoſſio vel pedis, vel manus, aut diſcerptio nervorum, ex quibus illæ partes contexuntur, dolor eſt; cùm ſit tantùm, vel eſſe concipiatur violenta partium laceratio, ideoque cauſa doloris in alia natura, quæ quia ſuâ ſponte agit & vivit, idcirco ſentire & percipere poteſt quidquid patitur corpus.

C a p. XIX.

In quo naturæ incorporeæ exiſtentia probatur a phænomenis & oſtentis; necnon Adverſariorum objectiones diluuntur.

His adde, plus dari in rerum natura, quàm ipſa materia exerere & producere poteſt: datur enim cogitatio, vita, ſenſus, & motus ſpontaneus, quæ multò meliora & præſtantiora ſunt ipſo corpore; effectum autem non poteſt eſſe perfectius ſuâ cauſâ. Quid eſt corpus? Ut ſæpiùs monuimus, eſt moles extenſa in longum, latum, & profundum, quæ dividi, tangi, & tangere poteſt, quæque ad varias formas, ſitus, & figuras recipiendas apta eſt. Horum verò nil cadit in illas facultates, quæ nec dividuntur, nec extenduntur, nec partibus contexuntur. Ergo illæ poteſtates neceſſariò fluunt ex natura a corpore diverſa. Ergo datur alia ſubſtantia præter corpus, incorporea ſcilicet; ſi enim mentis affectiones extenſionem, figuram, & dimenſiones paterentur, tum cogitatio poſſet eſſe rotun-

da aut ſpiralis; tum vita divideretur in dimidiam vitam; tum ſenſus eſſet contextura infinitarum partium. Quæ quàm abſurda & a natura mentis aliena ſint, nemo non videt. Deinde, ſi tanta ſit materiæ vis & præſtantia, ut mentis affectiones conſequi poſſit: ſi naturâ & ſponte ſuâ facultatem cogitandi, vivendi, ſentiendi aſſumere queat, & ſæpè aſſumpſerit; miror, cur omnes materiæ partes non cogitent, vivant, ſentiant? una enim materiæ portio non videtur magis apta, quàm altera, ad illas poteſtates aſſumendas. Quin imò ab Atheis ſcire velim, quæ partes materiæ, quænam atomi, an rotundæ, an ramoſæ, an craſſæ, an ſubtiles, ad id idoneæ ſint? Quo verò motu, an recto, an obliquo, an ſpirali, an perpendiculari ferri debeant, ut ex illis motibus, ſitu, & figuris naſcatur cogitatio, & ut materia ſenſum & vitam eniti valeat? Quomodo materia ex æterna quiete tandem ſurgere & de loco ſuo reſilire primò cœperit? Qui tandem ejus atomi huc & illuc deſultare & tripudiare, ſe invicem trudere, ſibi invicem complicari potuerint? Quis poteſt mente concipere diverſas materiæ particulas, imò tenuiſſimas, (nam minus & majus non faciunt differentiam, & corpus tenuiſſimum eſt verè corpus æquè ac craſſiſſimum) dextrorſùm aut ſiniſtrorſùm, rectà aut obliquè, in gyrum aut in ſpiram, perpendiculariter aut contortè motas, in tales ſitus, contexturas, formas, & figuras coaluiſſe, ut inde nata fuerit vis cogitandi, vivendi, ſentiendi? Aliter ſentiebat *Plato* divinus, qui (ut nos docet *Cicero de Nat. Deor. lib.* II.) motum proprium & ſpontaneum diviniorem eſſe putabat, eumque in ſolis animis ponebat, a quibus principium motus eſſe ductum credebat. Unde *Plato* videtur

tur ſtatuere, motum corporum a mente ortum eſſe, non verò caſu, nec a natura materiæ.

II. Denique innumera phænomena, quæ viſa ſunt, & adhuc viſuntur, oſtendunt dari Spiritus incorporeos, & alias eſſe naturas a corporibus prorſùs diverſas, quæ ipſorum corporum vim longè ſuperant; ut ſubitæ apparitiones & diſparitiones, citiſſimæ corporum humanorum tranſportationes ab uno loco in alium; prout accidit *Chriſto*, quando tentatus eſt a Diabolo, qui noſtrum Salvatorem nictu oculi transmiſit ab urbe ſancta in montem præcelſum *Matth.* IV. Dæmoniaci & Energumeni ἐνεργέμενοι, qui referuntur ab αὐτόπταις, tum ab exoticis, tum præſertim a ſacris Scriptoribus, & in quibus vis Dæmonum mirum in modum ſe prodidit: locuti enim ſunt linguas, quas nunquam didicerant nec calluerant, arcana retegebant, futura præſagiebant. Denique miracula, prædictiones, quæ traduntur a viris omni fide dignis, & quæ niſi credantur, tollitur omnis fides Antiquitatis, & introducitur Scepticismus in Hiſtoria. Hæc enim & ſimilia non ſolùm excedunt vim hominum, ſed horum nonnulla ipſius naturæ vires tranſcendunt, & a ſola mente omnipotente & omniſcia produci poſſunt. Nec ullo modo licet ea oſtenta & phænomena ſolius materiæ adminiculo explicare & reſolvere, niſi horum trium unum affirmemus; nimirum, vel eos, qui ea portenta & prodigia conteſtantur, eſſe impios impoſtores: vel αὐτόπτας, ſive eos in quibus hæc phænomena viſebantur, aut morbo melancholico tactos, aut furore correptos fuiſſe: vel tandem corpus longè excedere poſſe vim & modum ſuæ naturæ. Sic corpus hominis, quod terræ inhæret, poterit ferri citatiore motu quàm ſol ipſe, vel mu-

tare formas, & oculi nictu tum viſum afficere, tum viſum fugere valebit. Bos volabit in altum, ut alauda; materia ſubtiliſſima pollebit vi ſubolendi futura. Quid dicam de virtutibus Heroum excellentiſſimis, & de eorum præclarè factis? Quid de omnium linguarum, artium, diſciplinarumque inventione, & ſimilibus, quæ nemo, niſi mente læſus, tribuere auſit ſoli materiæ hoc aut illo modo motæ, diſpoſitæ, & contextæ? nam ipſum cerebrum, ſanguis, & ſpiritus animales, qui juxta Atheos ſola ſunt organa & (ut ita dicam) receptacula rationis, cogitationis, judicii, virtutis, & ſapientiæ, nil aliud ſunt præter corpus tali vel tali motu, figurâ, & ſitu præditum. Mira & inaudita nobis obtruduntur a *J. Tolando* ejusque ſimilibus, qui abſurdiſſima comminiſci malunt, quàm Spiritus incorporeos admittere.

III. Nec nos movent, quæ hîc loci ab Adverſariis objici ſolent, quaſi mens & ſpiritus incorporeus a nobis ſtatuatur quid minutiſſimum & viliſſimum, quod nec eſt punctum Phyſicum, multò minùs punctum Mathematicum, hoc eſt, ut volunt, purum merum nihilum. Sed hic eſt craſſus illorum hominum error, qui omnium rerum veritatem & præſtantiam metiuntur ſenſu & imaginatione; cùm ſenſus certò judicare nequeant de ipſorum corporum magnitudine, figurâ, & naturâ, niſi adjuvet ratio & judicium. Annon oculi percipiunt & judicant ſolem eſſe bipedalem, quod falſum eſſe nemo non novit? Præterea ſpiritus nec eſt majus, nec minus, nec minimum quid: nullàm enim magnitudinem & dimenſionem admittit natura incorporea. Nec ſcurriliter dicant, mille illos ſpiritus poſſe ſimul ſaltare in acumine acus: ipſi enim nullibi

ſunt,

ſunt, nulloque loco circumſcribuntur; ſed tantùm agunt, vivunt, & cogitant; ideoque non poſſunt dici conſiſtere, vel in acumine acus, vel ullo alio loco. Nec magis illos moror, quando urgent, quod nec eſt majus, nec minus, nec ullibi capitur, illud eſſe merum nihil; quia, inquiunt, nihil eſt incorporeum in rerum natura, quæ continet ſola corpora: nam abundè probavimus, dari ſubſtantiam incorpoream, quæ nec porrigitur in longum, latum, & profundum, nec menſuratur, nec in loco ſita eſt; quod non impedit, quominus ſit quid maximè verum & præſtantiſſimum; utpote quæ vim mirificam exſerit, quæ veriſſima & præclariſſima edit & perficit, quæque cogitat, vivit, ſentit, agit, patitur. Ipſis potiùs incumbebat probandum, nullos dari Spiritus incorporeos. Sed, ut craſſam ſuam inſcitiam prodant, rem præclarè confeciſſe putant, ſi gratis dixerint nil eſſe incorporeum, & quidquid exſtat, eſſe merum corpus. Quo ruinoſo fundamento ſuperſtruunt quidquid in noſtram ſententiam excipiunt. Idcircò nullomodo repugnat, Deum eſſe & agere ubique ſuâ potentiâ, ſapientiâ, bonitate, licèt localiter non exiſtat, nec in hac, nec in illa parte mundi.

CAP. XX.

In quo mentis æternæ & præſtantiſſimæ exiſtentia probatur, & Adverſariorum argumenta refelluntur.

I. Nihilo magis reſponſione dignum eſt, quod contra mentem æternam & præſtantiſſimam excipiunt Adverſarii: nam, ut id obiter

obſervem, quidquid in Spiritus incorporeos effutiunt & invehuntur Athei, eò imprimis id agunt, ut Deum ter Opt. Max. qui (prout *Chriſtus Joh.* IV: 24. nos docet) eſt Spiritus, omniumque Spirituum primus & præſtantiſſimus, de ſolio ſuæ majeſtatis deturbent, Numinisque ſenſum ut omnium ſpectrorum triſtiſſimum & infeſtiſſimum ex hominum animis fugent. His autem concinit *Adeiſidæmon*: nam *paragr.* 2. ex *Plinio Seniore Hiſt. Nat. lib.* II. *cap.* I. quem citat, laudat, & defendit contra cenſuram illorum hebetiorum Criticorum, qui illum Scriptorem, quaſi in credendo nimis facilem, imò fabulis deditum, arguere non dubitarunt; ex ipſo, inquam, aſſerit, *Mundum hunc, & quod alio nomine cœlum appellare libuit, (cujus circumflexu teguntur cuncta) numen eſſe æternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum unquam.* Nec *Adeiſidæmonis* animadverſio in *Plinium*, eo quòd *anilia multa ſuis interſeruerit animadverſionibus*, quam eodem paragrapho ſubjungit, nobis ullum fucum facere debet: exploſio enim Numinis cœleſtis, ut in ejus locum ſubſtituatur cœlum, vel univerſa rerum natura, ut & animæ immortalitatis impugnatio, hæc & ſimilia non ſunt tantùm anilia, ſed maximè impia & cum ſana ratione pugnantia. Multò minùs *Adeiſidæmonem* morari debemus, quando ibidem ait *Plinium* ab omni religione & credulitate alienum fuiſſe, quaſi illum Auctorem his de cauſis carperet: nam ſecundùm Atheos religioſa credulitas eſt animi imbecillitas; contrà verò irreligio & incredulitas animi magni & ſapientis indicium eſt. Præterea in altera Diſſertatione, quæ *Origines Judaicæ* inſcribitur, *paragr.* 15. eamdem impiam ſententiam affert & approbat

Joh:

Joh. Tolandus ex *Strabone lib.* XVI. ibidemque affirmare non dubitat nomen *Jehovæ* aliaque ſacroſancta nomina, quæ in ſacris Codicibus Numini æterno & præpotenti tribuuntur, ut *Alpha* & *Omega*, *primus* & *ultimus* &c. *eſſe æquivoca, quæ Atheiſmo æquè ac Theiſmo apprimè congruunt.* Sed in iis confutandis diu non eſt immorandum; ſuperiùs enim liquidò oſtendimus, dari mentem vel ſubſtantiam incorpoream, quâ demonſtratâ, nullo negotio conficitur, dari etiam mentem æternam & præſtantiſſimam, quæ omnes alios ſpiritus, ut & omnia corpora creavit; primò enim ipſi Athei Dei notionem habent. Aliàs quid nobiſcum diſputent, neſcio. Aliàs tota hæc diſputatio eſſet mera confuſio linguarum Babelica: nam Athei illud ipſum negant, quod Theïſtæ affirmant; dari ſcilicet mentem æternam, præſtantiſſimam, omnium rerum cauſam. Ergo ambo habent unius ejusdem rei, nimirum illius mentis præſtantiſſimæ, conceptum, de qua inter illas duas partes diſputatur, ſit, necne? Imò ipſi Athei Dei nomen & notionem, quorum alterum ut merum ſonum, alterum verò ut cerebri figmentum rejiciunt, ea ipſa materiæ tribuere non detrectant; nam, ut ſuperiùs monuimus, *Anaximander* eam vocabat τὸ Θεῖον, *numen divinum*; & hunc mundum, aut cœlum, cujus circumflexu cuncta teguntur, eſſe numen dicebat *Plinius Hiſt. Nat. lib.* II. *cap.* I. Necnon attributa, quæ Deo conveniunt, quæque vulgò de Deo ſolo intelliguntur & prædicantur, ea in ſuum numen transferunt, iisque molem effœtam, vitâ, ſenſu, & cogitatione deſtitutam, dignantur: materia enim ab ipſis Atheis dicitur & olim dicta eſt ἀγέννητ☉, ἀνώλεθρ☉, ἀΐδι☉. quæ *Plinius* loco mox citato Latinè ſic reddidit, *æ-*

 ternum,

ternum, *neque genitum*, *neque interiturum unquam*, αὐτοφυὴς *quæ ex ſeipſa eſt*, αὐθυπόστατος *quæ per ſeipſam conſiſtit*, ἄπειρος *infinita*, τῶν πάντων αἰτία *omnium rerum cauſa*, ex qua omnia fiunt, & in quam omnia redeunt; ideoque παντοκράτωρ *omnipotens*, quæ ſuâ ſponte & proprio motu omnia produxit, eodemque motu eademque vi ipſi a natura inſita omnia iterum deſtruit. Quapropter ſatis mirari non poſſum illorum hominum impudentiam, qui Theïſtarum religioſam credulitatem exprobrant & exſibilant, quaſi illud credant, cujus nullum ipſi conceptum habent, & rem admittant, quæ mente concipi nequit, quia infinita & ſummè perfecta dicitur, cùm ipſimet tueantur materiæ infinitatem, tum duratione, tum extenſione; eam enim ſtatuunt æternam & infinitè extenſam. Annon ipſimet admittunt ſpatium infinitum? Athei verò æquè ac Theïſtæ lineam ex. gr. infinitam concipiunt, licèt ejus infinitatem mente complecti & cogitando exhaurire nequeamus. Ergo nobis objicere deſinant infinitatem & incomprehenſibilitatem Dei, quem veneramur, quæ nullomodo concipi nec intelligi poteſt: nam in ipſos retorqueo ſuæ materiæ infinitam durationem & infinitam extenſionem. Ex his autem colligitur, nil impoſſibile, nil contradictorium involvi in idea mentis æternæ & præſtantiſſimæ, quæ omnium rerum cauſa eſt; idque negare non poſſe Atheos, dummodo verè & ſincerè loqui velint; cùm ipſimet eamdem notionem Dei, quam Theïſtæ, habeant; cùm præterea intelligant perfectionem divinam, quam præter eam, quæ mentis propria eſt, materiæ adſcribant; niſi fateri velint, materiam, prout eam deſcribunt & definiunt, eſſe quid impoſſibile, abſurdum, & repugnans. Ita

ut

ut tota controverſia de Deo inter Atheos & Theïſtas ad unam quæſtionem reduci poſſe videatur: nimirum, an illa infinita & ſumma perfectio menti congruere poſſit, necne? quæ facilè dirimi ac ſolvi poteſt: nam ſuperiùs demonſtravimus, dari mentem aut ſubſtantiam incorpoream: præterea mox probavimus, ipſos Atheos neceſſariò habere notionem Dei, de quo diſputant, quemque eſſe negant: vel ipſimet fateri debent, ſe non intelligere, quod dicunt & diſputant, & ſe negare merum nihilum non eſſe: de qua re nemo niſi ſtultus diſputare, multò minùs id negare velit. Præterea (ut *Balbus* apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* II. *paragr.* 46. obſervat) *nec dubium, quin quod animans ſit, habeatque mentem, rationem, & ſenſum, id ſit melius quàm id quod his careat.* Neque dubium eſt, quin natura incorporea, quæ ipſo corpore præſtantior eſt, præſtantiſſima eſſe, omnemque materiæ perfectionem infinitè excedere poſſe concipiatur, ipſiusque materiæ cauſa ſit. Vice verſâ verò minimè: ſanæ enim rationi magis conſentaneum eſt, ut quod præſtantius eſt, rei vilioris, quàm quod vilius eſt, rei præſtantioris cauſa ſit. Parique jure, ut natura, quæ materiæ omniumque rerum cauſa eſt, ea ſit omnium rerum præſtantiſſima, ut Oceanus latior & profundior, imò latiſſimus & profundiſſimus eſt omnium fontium, lacuum, fluviorum, qui ex ipſo oriuntur & in ipſum refluunt. Præſertim, cùm ipſi Athei ſtatuant unicam eſſe omnium cauſam primam, αὐτοφυῆ, αὐθυπόστατον, quæ ex ſeipſa ſit & per ſeipſam conſtet, præſtantiſſimamque. Ergo Dei notio non eſt fictitia, ſed veriſſima & certiſſima; licèt rei, cujus notio eſt, non ſit adæquata, quia Deus eſt natura infinita &

incomprehenſa: nam quod finitum eſt, non poteſt eſſe cauſa efficiens aut archetypa infinitæ & omni numero abſolutæ naturæ, qualis Deus eſſe concipitur, niſi dicatur effectum eſſe infinitè perfectius ſuâ cauſâ, quod repugnat; cùm quælibet cauſa pro ratione propriæ vis & perfectionis agat. Nec orta eſt Dei notio ex metu & anxietate, ut volunt Athei: divina enim natura non concipitur ut maligna & invidioſa, ſed ut benefica, liberalis, optima, maximaque, quæ idcircò omnimodam reverentiam & venerationem meretur ſibique conciliat, ut & metum animis hominum incutit, ſi in eam peccetur; quia juſtiſſima & præpotens eſt. Præterea, ſi Deus non ſit, miror, quomodo omnes homines ejus notionem ſuſceperint, nullaque ſit gens tam immanis, tamque barbara, quæ Deum non habuerit: quomodo illo infeſtiſſimo ſpectro, vanoque phantasmate ſeſe liberare nunquam tentaverint? imò Numen colere, ad ipſum confugere, ejuſque opem invocare nunquam non deſierint? Denique religioſi multò minùs meticuloſi & anxii de futuris & de ſorte ſua ſunt & eſſe debent, quàm illi homines, qui omnem Numinis ſenſum & metum abjecerunt: illorum enim fœlicitas non ſubjicitur arbitrio cauſarum incertarum & mutabilium; Atheorum verò fortuna tota pendet a caſu & voluntate hominum inſtabili. Iterum, quis, niſi ſtultiſſimus, dicere auſit, notionem Dei confictam eſſe ex ideis Metaphyſicis, & eſſentiis rerum ab ipſis rebus mente abſtractis & ſeparatis, hoc eſt, ab univerſalibus, ut eſſentia hominis, eſſentia equi, &c. quatenus omnibus ſingularibus competit. Primò enim illos homines rogare velim, an illæ eſſentiæ abſtractæ incorporeæ ſint, necne? ſi ſint incor-

incorporeæ, ergo datur aliquid incorporeum: ergo dari poteſt quiddam incorporeum, infinitum, & omni numero abſolutum: altero enim poſito, alterum non implicat contradictionem. Has autem eſſentias abſtractas eſſe res incorporeas, inde manifeſtum eſt, quia ab ipſis rebus abſtrahuntur, ideoque nec ſunt ipſa corpora, nec corporum modi: multò minùs ipſa mens, quæ illas concipit & abſtrahit, eſſe poſſunt; niſi velint mentem noſtram fieri eſſentiam equi, eſſentiam lapidis, & ſic de cæteris. Nec poſſunt res ipſæ ineſſe in mente noſtra; tum enim ex. gr. univerſalis equi natura per modum extenſionis eſſet in mente; quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt. Si autem Dei notio ex illis eſſentiis univerſalium abſtractis originem duxerit, quia incorporeæ ſunt, inde ſequitur Deum eſſe incorporeum; quia effectum de ſua cauſa ſemper participat. Deinde, quis unquam audivit, ullum Scholaſticorum ſomniaſſe ex. gr. de univerſali equo, de univerſali bruto, de univerſali homine, & de ſimilibus univerſalibus, quæ extra mentem exſtant, imò ab æterno exſtiterunt, quæque ſub imaginibus ſubtiliorum corporum cavis huc & illuc diſcurrere & apparere creduntur? Nam, ut mox diximus, illas eſſentias rerum, vel abſtractè, vel concretè, hoc eſt, vel ſolæ, vel cum earum qualitatibus & affectionibus conſideratæ, non ſunt res ipſæ, ſed rerum notiones intelligibiles, quæ menti obverſantur, quæque æternæ dici poſſunt; quia ab æterno fuerunt in mente ſapientiſſima, omnium rerum cauſa; quæ omnia ad illas principes & archetypas notiones produxit. Nec hæc tantùm dicuntur reſpectu ſpirituum incorporeorum, ſpectrorum ſcilicet, Dæmonum, Genio-

rum

rum &c. ſed multò minùs concipere poſſum, quomodo ex illis eſſentiis rerum abſtractis & intelligibilibus conflata ſit notio illius mentis æternæ & præſtantiſſimæ? nam ex uno univerſali oriri nequit; quia Deus eſſe nequit univerſalis equus, aut equi eſſentia in genere conſiderata; cùm concipiatur ut omnium rerum archetypa & efficiens cauſa. Nec omnia univerſalia ſimul ſumpta eam in mente noſtra ſuſcitarunt; quia Deus concipitur ut una perfectiſſima & ſimpliciſſima natura. Denique, antequam Scholaſticorum nomen, diviſiones, diſtinctiones, quidditates, abſtractæ eſſentiæ, totaque illorum hominum barbaries innotuerit, jamdiu viguit Dei notio: nam ipſe *Moſes*, omnium Scriptorum antiquiſſimus, tradit Deum in principio creaſſe cœlum & terram, Chaoque fluido incubuiſſe mentem vel ſpiritum, lucemque eduxiſſe ſolo ſuo verbo. Cujus Auctoris doctrina & hiſtoria intelligi nequit niſi de mente ſapientiſſima potentiſſimaque. Ut taceam antiquiſſimos Philoſophos, qui de illis Scholaſticis næniis nil unquam ſomniarunt, attamen ipſi diſertis verbis aſſerebant, ut *Pherecydes & Thales*, referente *Cicerone de Nat. Deor. lib.* I. Deum eſſe mentem, quæ omnia finxit. Imò *lib.* II. *Cicero* hæc tradit; *omnibus hominibus & gentibus innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos.*

II. Ex illa autem innata & animis hominum inſculpta Dei notione ſequitur Deum eſſe; quia in ejus notione involvitur vis ab æterno vivendi & ex ſeipſo exiſtendi: Deus enim concipitur ut natura perfectiſſima, ideoque quæ neceſſariò exiſtit; ſiquidem neceſſaria exiſtentia (venia voci) non ſolùm eſt perfectio, ſed omni numero abſolutæ perfectionis baſis & fundamentum.

tum. Nec hîc loci quidquam excipere auſint Athei, quia eamdem perfectionem ſuæ materiæ, ſenſu, ratione, & conſilio carenti, adſcribunt: volunt enim eam eſſe αὐτοφυῆ, vel *ſuæ propriæ originis.* Præterea Deus concipitur ut rerum omnium cauſa, ideoque ante omnia fuit & ab æterno exſtitit: ſi enim unquam eſſe cœpiſſet, tum tantum abfuiſſet, ut omnium rerum cauſa foret; quòd ipſemet ortum ab alia cauſa accepiſſet. Similiter, ſi Deus aliquando non exſtiterit, poſſet fieri, eum iterum eſſe deſiturum. Qui autem neceſſariò exiſtit, (prout Deus concipitur exiſtere) ipſe non eſſe nequit; & hæc perfectio includitur in notione Dei, qualem ipſi Athei habent. Præterea, ex cauſarum ſubordinatione liquidò patet, dari Deum; quia ad primam cauſam tandem devenire neceſſe eſt, nec hîc datur progreſſus in infinitum: ſi enim omnia facta ſint, tum ſequeretur, nil factum eſſe; quia nihilum non poteſt eſſe cauſa ſuiipſius; vel quod non eſt, ſuâ ſponte eſſe incipere nequit. Ergo datur cauſa prima, quæ ante omnia exſtitit, & omnibus rebus ortum largita eſt: vice versâ, ſi nil unquam factum fuerit, vel, quod eodem redit, ſi omnia, quæ nunc ſunt, ea ab æterno exſtitiſſe dicantur, inde fiet, ut ipſi Athei tollant primum ſuum principium, materiam ſcilicet, ex qua ſecundum Adverſariorum ſententiam omnia orta & facta ſunt, & in quam omnia corrumpuntur & reſolvuntur. Ergo materia juxta illos homines effœta, ſenſu & cogitatione deſtituta, ab æterno ſeipſam ſuſtentare potuerit, tum materia eſſet natura perfectiſſima; quia in neceſſaria & æterna exiſtentia involvitur omni numero abſoluta perfectio, & quod ex ſeipſo eſt, & per ſeipſum conſtat, nil veri & pulchri ipſi deficere poteſt;

poteſt; materia autem multis vitiis laborat, pluribusque & præſtantioribus poteſtatibus, ut ſenſu, vitâ, cogitatione, caret, quæ nec corpus eſſe, nec corporis modos, ſuperiùs oſtendimus. Nec potuit materia ſuâ ſponte & ſubitaneo motu ex nihilo emergere: inde enim ſequeretur eam habuiſſe ortum, eamque in nihilum ultrò reſulturam vel reſilire potuiſſe; & mundum, imò plures mundos oriri & iterum perire potuiſſe; quod ridiculum & inauditum eſt, nec hæc concedent Adverſarii. Concludamus igitur dari primam omnium rerum cauſam, mentem ſcilicet æternam & præſtantiſſimam, quam Deum vocamus & intelligimus. His adde, ſi non datur mens æterna & præſtantiſſima, inde colligendum eſt, omnia fore confuſa & indigeſta, nil fore benè ordinatum, nil pulchrè conſtitutum: materia enim, quæ conſilio, ratione, & cogitatione caret, non poteſt ſeipſam ordinare, nec in concinnas formas ſeſe componere; quia ordo eſt effectum & indicium conſilii & ſapientiæ. Ergo datur præſtantiſſima & ſapientiſſima mens, quæ omnia ordinavit, & machinam mundi concinnavit & decoravit: nam, ut habetur apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* 11. *ex contemplatione cœlorum cœleſtiumque corporum colligitur, ut quid apertum & perſpicuum, eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur.* Ibidemque ſubjungitur: *motus, ordo, diſtinctio cœli ſyderum indicant ex ſolo aſpectu, eas res non eſſe fortuitas, ideoque numen eſſe, quod ea gubernet.*

CAP.

Cap. XXI.

In quo Divini Numinis providentia defenditur & demonſtratur teſtimonio ſacrorum & exoticorum Scriptorum.

I. Sed ea ratiocinia eæque auctoritates ſimiliter oſtendunt, dari providentiam, vel (ut cum *Cicerone* loquar) numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnia regantur & gubernentur; quod tamen impugnat *Adeiſidæmon paragr.* 9. *pag.* 23. licèt pro more ſolito alienam perſonam in ſcenam inducat, in quam ſui Atheïſmi invidiam transferri vult *J. Tolandus.* Primò enim *illum virum honeſto loco natum*, & *in rebus civilibus exercitatiſſimum*, in rerum natura non eſſe credam, donec nobis dixerit *Adeiſidæmon*, quisnam ille fuerit? vel ipſiſſimum eſſe *J. Tolandum*, quem illis laudibus decorat, an jure, an verò injuriâ, hîc loci non diſputo? Deinde vir ille in rebus civilibus exercitatiſſimus fuit familiaris amico *Tolandi.* Jam autem ſæpiùs obſervavimus noſtrum hominem quamvis occaſionem avidè arripere Atheos citandi & laudandi, ut *Livium*, *Plinium Seniorem*, *Joſephum* juxta *Adeiſidæmonem* perſonatum Judæum, *Lucretium*, *Spinoſam*, *Bælium*, *Vandalium*, &c. imò hujus generis hominum conſuetudine uti ſolitum eſſe; ſic familiaris fuit cuidam Spinoſiſtæ nobili viro Hollando, ad quem IV. & V. ſuarum *Epiſtolarum* Anglicè ſcriptarum dedit: pariter Presbytero illi Eccleſiæ Anglicanæ, cui ſuum *Adeiſidæmonem* dedi-

dedicat: & alteri viro, qui Spiritus incorporeos rejiciebat; cui non abſimilis vir alter in rebus civilibus exercitatiſſimus, de quo nunc agitur. Horum autem hominum majorem partem fuiſſe Atheos conſtat; alios verò, vel Atheos eſſe fingit *Adeiſidæmon*, vel eorum perſonam opportunè arcerſit *J. Tolandus* in Atheïſmi patrocinium & ſubſidium: nam per interlocutorem Presbyterum illum Eccleſiæ Anglicanæ inducit hunc *virum honeſto loco natum*, *providentiam divinam pro anu fatidica cum Epicureis irridentem.* Miror, tam dirum & impium ſcomma in Sacroſanctum Numen cœleſte eructatum in medium proferre & ſuam chartam illo maculare auſum eſſe *Adeiſidæmonem*, ſi Religionis ſenſu & Deorum curâ ad minimum tangeretur? nec γρὺ quidem affert, quò pateat, hujus irreligioſi hominis impietatem ſe deteſtari, vel ſaltem improbare. Eum quidem reprehendere videtur *Adeiſidæmon*, eo quòd, cùm providentiæ divinæ regimen & dominium cum *Epicuro* rejecerit; attamen ſtellarum influxum & imperium in rerum univerſitatem, & Aſtrologorum ridicula figmenta admiſerit: mallet enim *J. Tolandus*, ut juxta ſuam hypotheſim omne omninò moderamen ſupremæ poteſtatis abjeciſſet ille cynicus, & omnia phænomena ad caſum, vel ad motum materiæ unicè referret. Ideoque non eſt dubitandum, quin illi *viro in rebus civilibus exercitatiſſimo* (niſi ipſemet ſit *J. Tolandus*) & Epicureis in providentia divina irridenda complodat *Adeiſidæmon*: nam *paragr.* 16. *pag* 43. verbis *Livianis* utens, eorum imbecillem credulitatem perſtringit, *qui omnium ſecundorum adverſorumque cauſas in Deos vertunt*, quique inde proclives ſunt *ad quamcumque rem loco prodigii habendam*; attamen res adverſæ

adverſæ & ſecundæ non ſunt minima pars divinæ providentiæ imperii, quo res humanæ curantur & diriguntur: nam in ſacris Codicibus ſanctiſſimi Prophetæ & Patriarchæ, nominatim *Joſephus* variis diſcriminibus rerum jactatus, ſua adverſa & ſecunda ad Deum referunt, *Gen.* XLV: 6. 7. & L: 20. Ipſemet Deus ter Opt. Max. per Prophetam *Eſaiam cap.* XLV: 7. ait: *Ego produco lucem & tenebras: ego efficio pacem, & creo malum.* Cui concinit *Amos* III: 6. quando fatetur, *nil eſſe mali in civitate, quod Dominus exercituum non fecerit.* Imò *bona & mala venire ab Altiſſimo* ait *Jeremias Thren.* III: 38. *Chriſtus* verò eamdem doctrinam expreſſiùs tradit, quando aſſerit *Matth.* X: 29. *nequidem paſſerculum humum cadere, niſi volente Patre cœleſti, qui lilia induit, qui volucria alit Matth.* VI: 26. 28. Si enim Deus curet minima, multò citiùs maxima: ſi lilia agri, ſi quadrupedia campi, ſi aves cœli curet, multò magis homines resque humanas; ideoque calamitates & proſperitates, tum privatas, tum publicas, in quibus rerum humanarum maxima pars vertitur, eum diſpenſare neceſſe eſt. Similiter providentiæ divinæ nutu & regimine mittuntur & adminiſtrantur oſtenta & prodigia, ut miracula, oracula, apparitiones Angelorum, bonorum & malorum, portentaque in cœlo aut in terra ab hominibus ſubitò viſa, quæ ubique in ſacris Codicibus memorantur, quæque niſi credantur, tollitur ſacrarum Litterarum fides, & maxima pars rerum divinarum, quæ ad Eccleſiam Judaïcam & Chriſtianam pertinent, pro fictitiis aut merè naturalibus rebus habendæ ſunt. Itaque quemvis pium oportet Numinis cœleſtis providentiam ſuſcipere & retinere, in quam adverſorum ſecundorum-

rumque, ut & omnium prodigiorum cauſas vertat: & vice verſâ eum credere decet dari prodigia aut res præternaturales, quæ olim facta ſunt Deo volente & dirigente, quæque adhuc fieri & oſtendi poſſent, ſi Numini cœleſti ſic videretur.

II. Sed quia Religio & ſacrorum Scriptorum auctoritas apud *Adeiſidæmonem* non multum valent, idcirco exoticorum Scriptorum nonnulla teſtimonia huc adducam. *Livius lib.* 1. *cap.* xx. hæc habet: *Numen cœleſte rebus humanis intereſſe videtur:* ſic videbatur *Numæ Pompilio*; ſic videbatur populo Romano, ut ex hujus loci *Liviani* ſcopo liquet. *Cicero de Nat. Deor. lib.* 1. ſub initio (ut ſuorum verborum ſenſum breviùs exprimam) ſic ait, ſublatâ Deorum providentiâ, vel rerum humanarum procuratione, tollitur pietas, religio, ſanctitas; imò fides, juſtitia, & ſocietas humana; ſequiturque perturbatio vitæ & magna confuſio. Ideoque ibidem & aliis in locis, ut *de Fin. lib.* 1. nonnullos Philoſophos, imprimis *Epicurum*, ſeverè reprehendit, eo quòd providentiam divinam ſuſtulerit, Deumque fecerit mollem, & ab omni cura laboreque vacuum; in qua inerti & molli vita totam divinæ naturæ fœlicitatem ponebat ille Atheus. *Ciceroni* concinit *Plutarchus* adverſus *Coloten*. *Socrates*, *Plato*, & *Ariſtoteles* diligentem operam adhibuerunt in demonſtranda Deorum providentia & rerum humanarum cura: nam ſuperiùs ex *Xenophonte Memorab. lib.* 1. didicimus, quantum laboravit *Socrates*, ut collocutorem *Ariſtodemum* in partes Theïſtarum traheret, & ad providentiam credendam adduceret. Et ex *Ariſtotele Cicero de Nat. Deor. lib.* II. probat eſſe Numen, quod cœlum ſyderaque & omnia gubernet, exem-

plo

plo ædificii pulchrè ædificati benèque inſtructi, cujus ratio, modus, ſitus, uſus oſtendunt cuivis attendenti, qui ex terra ſubitò exiret & cœlos aſpiceret, dari aliquem, qui præſit, cuique pareatur. Et *de Legib. lib.* II. tradit, ut quiddam antiquiſſimum & a primis rerum initiis & Rerumpublicarum jactis fundamentis creditum, *eſſe perſuaſum civibus jam a principio omnia regi Deorum judicio & numine.* Quid plura dicam? nam religio, pietas, preces, ſacrificia, omneſque cultus religioſi partes apud omnes gentes ſatis apertè oſtendunt, homines nunquam non credidiſſe, dari providentiam Numinis cœleſtis: niſi enim perſuaſum habuiſſent, Deos vel Deum ipſorum curam habere, ipſis providere & proſpicere, nunquam cogitaſſent de illis invocandis, litandis, colendis; nec unquam ad eorum opem confugiſſent omnes populi. Ex his autem liquet, auctoritatem & traditionem hominum cum auctoritate divina conſentire in Numinis ſupremi providentia, aut rerum hujus mundi procuratione aſſerenda & ſtabilienda.

Cap. XXII.

In quo divina providentia iterum demonſtratur ex ſana ratione.

I. Nec tantùm conſenſus gentium, ſacrique Codicis teſtimonium indicant, dari providentiam divinam; ſed & ſana ratio id demonſtrat variis argumentis petitis tum a natura Dei, tum ab ipſis rebus creatis. Primò enim Deus ſemper vivit, agit, & cogitat: unde in ſacris Litteris non rarò dicitur *Deus vivens.* Mens autem

æterna & præſtantiſſima non poteſt non agere, vimque ſuam non exerere modo perfectiſſimo; ideoque neceſſe eſt, eam ſe immiſcere in hujus mundi regimine & moderamine; præſertim, ſi conſideremus, quò perfectior & præſtantior eſt aliqua natura, eò aptiorem eſſe ad agendum; imò perfectionis ſuæ exercitium eſſe maximam perfectionem. Mens noſtra totum corpus nutu ſuo movet & regit, quocumque vult; necnon extremas mundi viſibilis partes ſuâ cogitatione quaquaverſùm peragrare & pertingere poteſt. Unius hominis voluntate dominia ampliſſima moderantur. Quis verò negare auſit, mentem Dei præſtantiſſimam ad machinam mundi vertendam & regendam parem eſſe? Itaque indignè de natura divina ſentiebat *Epicurus*: eam enim omni curâ vacuam ſtatuebat, & a rebus humanis adminiſtrandis prorſùs arcebat; veritus, ne ejus fœlicitas perturbaretur, ſi minimo ſeſe immiſceret negotio: ſicque Deum ſibi ſimilem, hoc eſt, mollem & effœminatum, faciebat *Epicurus*. Novimus autem divinam naturam nil agere operoſè, nulloque negotio rerum univerſitatem moderari & adminiſtrare poſſe; quia Deus concipitur eſſe ſpiritus omnipotens, perfectiſſimâ vitâ vique infinitâ præditus; qui ideo non operatur per motum, nec ullibi eſt per modum extenſionis, ſed per voluntatem ſuam efficaciſſimam & ubique præſentem. Præterea fatendum eſt actionem eſſe quid melius ipsâ molli quiete; negotium eſſe quid præſtantius otio, & artem inertiâ: quò majorem diligentiam quis adhibet, & quò majora adminiſtrat negotia, eò perfectiorem & beatiorem eſſe: niſi cum *Epicuro* dicamus, eum beatiſſimum eſſe, qui omni labore vacuus mollitie & voluptate diffluit; quod indignum eſt naturâ

turâ cogitante & incorporeâ, multò magis mente perfectiſſimâ. Unde tantum abeſt, ut mundi cura & adminiſtratio Dei beatitudinem turbatum eat, quòd potiùs iis agendis ſuam fœlicitatem ponat natura divina, eo quòd iis gerendis ſuam perfectionem exerceat, ſuamque vim exerat. Nec Deo digniora ſentiunt, qui putant & in providentiam excipiunt, unicam naturam ad tot & tanta negotia capienda & adminiſtranda imparem eſſe: hi enim homunciones divinam naturam metiuntur ad modum naturæ humanæ, aliusve naturæ creatæ; quæ, quia finitæ ſunt, idcirco res ſigillatim & ſucceſſivè peragere coguntur, nec plura negotia ſemel & ſimul in diverſis locis conficere valent. His adde, noſtræ tarditatis cauſam jure meritò verti in molem corporis, quod, ut pondus, animum noſtrum impedit, ejusque conatibus moras addit. Nihilominus ſenſu & experientiâ novimus, oculum vaſtiſſimos campos totumque Horizontem uno intuitu circumſpicere & viſu complecti poſſe, noſtramque animam innumeras notiones rerum ſimul continere & intueri ſine ullo labore & negotio. Quid autem cogitemus de natura perfectiſſima, de mente præſtantiſſima? Annon poteſt illud Numen omniſcium, præpotens, & ubique præſens omnia noſſe & agere in omnibus locis? An res ardua eſt ſpiritui omni numero abſoluto infinita negotia intelligere & diverſis diſſitisque locis ſimul adminiſtrare? Nec eſſet divinæ naturæ vis infinita, niſi ejus influxus & præſentia omnia loca omnesque res creatas pertingeret permearetque. Similiter provida Dei cura circa res creatas clariùs oſtenditur ex conſideratione ejus naturæ bonæ & benignæ: Deus enim eſt neceſſariò bonus, & hoc ſenſu ſolus bonus, (ut *Chri-*

ſtus ait) non tantùm bonitate phyſica, ob ſuæ naturæ præſtantiam & perfectionem, ſed & bonitate morali, quâ promptus eſt ad benè volendum & benefaciendum; quia (ut vulgò dicitur) omne bonum eſt ſui communicativum, multò magis quod optimum eſt. Itaque illum ter optimum & benigniſſimum Deum oportet ſuæ bonitatis theſauros depromere erga res creatas, paternamque curam adhibere iis ſuſtentandis & adminiſtrandis. Hîc autem loci ſatis mirari non poſſum illorum hominum lividam & malignam indolem, qui omnem beneficentiæ cauſam ad penuriam & imbecillitatem referunt, vel ex mera φιλαυτίᾳ eam fluere volunt; unde colligunt perfectiſſimam & beatiſſimam naturam, qualem divinam eſſe ſtatuunt Theïſtæ, nullâ re indigere, ſui ipſius contentam eſſe, nec ullam aliam rem ipſi cordi & curæ eſſe debere. Primò Adverſarii beneficentiam ſordidiſſimam & abjectiſſimam definiunt, utpote quæ omnia ſuâ utilitate metitur; nec eſt liberalitas indicium animi indigi & impotentis, ſed potiùs argumentum ingenuæ & magnanimæ indolis, quæ beneficia largitur non tam ex amore ſui, quàm ex amore virtutis; & quò præſtantior & perfectior eſt ulla natura, eò liberalior & ad beneficentiam promptior eſt. Tantum autem abeſt, ut beneficentia veræ beatitudini adverſetur, quòd potiùs eam perficiat, & cum ipſa neceſſariò conjuncta ſit, præſertim in natura præſtantiſſima, quæ ex ſuæ bonitatis & perfectionis inexhauſto penu largitiones ſuas profundit liberrimè & libentiſſimè, non quia ullâ re indiget, ſed quia aliæ res ejus ope & curâ indigent; non ut res creatæ ipſi beneficia retribuant, ſed ut ipſis rebus creatis benè ſit; ita ut nil minùs quàm ſordidè nobiſcum agat Numen

men cœleſte, nec ſuâ majeſtate indignam cenſeat noſtri curam & tutelam: quia res, quas ex abyſſo nihili & Chao eduxit ſua bonitas, eas ſervat, alit, & fovet ſua providentia, ut ſcilicet omnibus teſtatam faciat ſuam benignitatem nunquam defecturam, nec ſuæ liberalitatis fontem unquam exhauſtum iri. Deinde, ſi juſtus & æqui obſervantiſſimus eſt Deus, ut certò certiùs eſſe concipitur & ſtatuitur, inde ſequitur, eum cuique olim retributurum juxta merita ſua, prout quisque fecerit in hoc corpore, ſive ſit malum, ſive bonum. Ut autem intentum habeat, omnes hominum actiones inſpicere & libro ſuæ providentiæ eum inſcribere neceſſe eſt; & quia homines & aliæ creaturæ intelligentiâ præditæ in Deo ſunt & vivunt & moventur, idcirco quidquid agant & moliantur, id pro certo novit & continuò obſervat, ut juxta certam cognitionem procedat judicium futurum. Denique quid plura addam? Cui enim bono cuive uſui tot & tantæ perfectiones, quæ in natura & notione mentis divinæ neceſſariò includuntur, ſi in ſolio ſuæ excellentiſſimæ majeſtatis otioſus ſedeat Deus ter Opt. Maximus? Quid prodeſt conſpicua illa divinorum attributorum conſtellatio, ſi nemini luceant, ſi nullam rem foveant? Ad quid illa profundiſſima ſapientia, illa infinita potentia, illa perfectiſſima vita, &c. quæ ſunt tanquam gemmæ pretioſiſſimæ, quibus coruſcat præſtantiſſima Numinis cœleſtis natura, ſi nil agat, nil curet, nil gerat ipſum Numen, & ſi ullâ rerum creatarum curâ & adminiſtratione occupari nolit? Nemo, niſi inſanus, dicere auſit, rem ſibi videri pulcherrimam omnique laude digniſſimam, dum omnium Politicorum & ſapientiſſimorum hominum prudentia, probitas, experientia, con-

ſilium, animus ad res magnas gerendas aptus & par in otio & deſidia ſordeſcant; vel dum omnes artes diſciplinæque, quibus mens noſtra capax & particeps eſt, prorſùs vileſcant & langueſcant? Multò minùs id cogitandum eſt de natura omni numero abſoluta; nam facultates exerceri debent circa objectum idoneum & ad id accommodatum. Concludamus ergo dari providentiam, quia datur Deus ter Opt. Max. quia eſt mens præſtantiſſima, quæ ſuâ curâ & benevolentiâ omnia complectitur, nec unquam deſinet agere & influere in res creatas.

Cap. XXIII.

In quo divina providentia probatur a phænomenis, & argumenta Adverſariorum refelluntur.

1. Sed a naturæ phænomenis argumentari licet. *Motus enim, ordo, diſtinctio cœli ſyderumque ſolo aſpectu indicant, eſſe Numen quod ea gubernet*, ut ait *Cicero de Nat. Deor. lib.* II. Quis unquam explicare poterit cœlorum revolutiones, tempeſtatum viciſſitudines, animantium generationes &c. niſi admittat conſilium mentis præſtantiſſimæ, quæ ipſis præſit? hi enim curſus certo & conſtanti motu evolvuntur, & ſtatis temporibus redeunt ſuccceduntque, ut in iis eluceat ars & prudentia ſupremi mundi Dominatoris & Rectoris. Sicut autem ab initio mens ſapientiſſima & præpotens res creatas ordinavit & diſpoſuit, earumque motus, uſus, ſpecies conſtituit & definivit: ita ejuſdem mentis curâ & judicio eas

eas continuò regi & dirigi neceſſe eſt. Aliàs nullomodo intelligi & oſtendi poteſt, quomodo fit, ut tot & tantæ moles a via definita nunquam deflectant, nec vaſtiſſima & multiformis mundi machina in confuſionem ruat & iterum revolvatur: caſus enim, aut motus materiæ vagus & cæcus non poſſunt eſſe cauſa ordinis, diſtinctionis, artificiique; niſi velimus ex. gr. domum ad architectonicam artem ædificatam, pulchrè inſtructam, & ad certos uſus accommodatam repentè & ſuâ ſponte in illam formam componi poſſe; & ligna, lapides, cæmentum, clavos, tegulas, & ſimilia cæco fortunæ ductu in uſum & ordinem ædificii ſeſe diſponere & compingere noſſe; aut ligna, antennæ, vela, funes &c. ſine artifice ſubitò in ingentem navium claſſem coalitum & compactum iri; illasque naves ſine nautis & naucleris, ſine velis & ventis in ſempiternum huc & illuc in gurgite vaſto impelli & agitari poſſe, ita ut nunquam collidant, imò ita ferantur, ut recto & conſtanti curſu in hunc & illum portum meent & remeent; vel ferrum & ligna caſu in ingentem curruum numerum ſeſe compactura & diſpoſitura, illosque currus ſponte ſuâ dextrorſum & ſiniſtrorſum moveri & ferri poſſe in campum nullo dirigente aurigâ, nec unquam ſeſe interceptura & in ſe invicem incurſura. Pari ratione, quis unquam ſeriò perſuaſum habeat, materiæ partes cæco impetu agitatas in cœlos & aſtra coaluiſſe, ſeſe ordinaſſe & diſtinxiſſe, locum & motum ſibi fixiſſe, & in illo ordine & curſu conſtanter ſeſe conſervaſſe? Si omnia caſu feruntur, nullâ mente præſide; miror, quî factum eſt, ut luna in ſolem nunquam abſorpta ſit; ut cœli & ſydera in terram ſubinde non ruant, eamque abſumant? Nec mirari deſinam, quo

pacto obtigit, ut materia partibus, extenſione, &, ſi velint, motu prædita in canem potiùs quàm in lapidem ſeſe conformaverit? ut ille canis tot organa ad certos uſus accommodata habeat, quæ conſilium & judicium neceſſariò arguunt? Unde ſit, ut canis aliorumque animantium ſpecies & naturæ conſerventur? ut canes non generent mures, ut ex muribus non generentur ſerpentes? ut illi canes, mures, ſerpentes &c. in truncos & arbores nunquàm confundantur, & trunci & lapides in illa animantia non refundantur? Nam cæca & ſtupida fortuna ordinis, elegantiæ conſtans cauſa eſſe nequit. Sic ſentiebat *Galenus de uſu part. lib.* 11. ubi ingenuè fatetur, *Moſis* opinionem, qui rerum originem ad Deum vel mentem refert, rationi multò magis conſentaneam & veriſimiliorem eſſe *Epicuri* hypotheſi, qui omnium rerum cauſas in fortuitum atomorum concurſum vertebat. Ipſemet *Galenus* eodem libro ut & *Ariſtoteles de part. Animal.* ſæpiùs agnoſcunt & celebrant eximiam Creatoris ſapientiam, qui animantium, præſertim corporis humani ſenſus & organa ad tot uſus, ſive uniuscujusque partis, ſive totius reſpectu, accommodavit. Unde non immeritò *Epicuri* ſtultitiam exprobrat *Cicero de Divinat. lib.* 1. *At ille quid ſentit? Sentit autem nil unquam elegans, nil decorum.* Cujus Auctoris cenſuram ad omnes Atheos extendere licet. Quid enim decori, quid elegantis ſentiùnt? Malunt autem res elegantiſſimas, elegantiſſimo nexu conjunctas, decorè & admirabili conſenſu ſibi invicem ſubſervientes, cæco impetui, aut materiæ motui adſcribere, quàm agnoſcere dari mentem præſtantiſſimam, quæ omnia cum conſilio fecit, & omnia continuò fovet, ſuſtinet, & dirigit. Licèt nemini

non

non ſit manifeſtum; materiam non poſſe ſeipſam movere, multò minùs quidquam ad certos uſus & fines perficere, ad quos omnes res creatas deſtinari & contendere cuivis attendenti liquet.

II. Quid dicam de conſervatione ſocietatis humanæ? fatendum eſt enim, malos & improbos homines longè plures eſſe probis & bonis. Illi autem, ut & maligni Spiritus, (quos dari ſuprà oſtendimus) conjurant in perniciem & exitium generis humani, & ad rerum confuſionem & perturbationem nunquam non anhelant. Nec ſceleratos homines in officio continere, & a mali molitione abſterrere poſſet legum auctoritas, aut pœnæ formido; quia & leges, & eos qui leges tuentur, peſſumdare ipſis res facilis foret, niſi vis ſuperior, Numen ſcilicet præpotens, illorum nefariorum hominum licentiam refrænaret, eorumque molimina reprimeret; quibus ſi unquam fræna dederit, ſtatim periret omnium inſtitutionum pulcherrima & utiliſſima, cujus ipſemet Deus ter Opt. Max. auctor eſt, civium nempe ſocietas; prout videre eſt in everſione potentiſſimorum Imperiorum, ex. gr. Romani Imperii, quod juſto Dei judicio militum proterviâ crebriſque ſeditionibus tandem prolapſum eſt. Nec alia hujus generis exempla deſunt: ſic vaſtiſſimum Perſarum Imperium parvâ hominum manu everſum eſt; ut ſcilicet omnes fateri cogantur, Numen cœleſte rebus humanis intereſſe, omnium Regnorum & Rerumpublicarum fata dicere; licèt nunquam ſiverit hominum ſocietatem penitùs interituram. Nec prætermittenda ſunt phænomena illa, naturæ vires & modum excedentia, ut miracula, prædictioneſque, quæ Numinis cœleſtis providentiam ſatis abundè indicant: nam in ſacris

Lit-

Litteris ubique memorantur prodigia, quæ hominum, imò ipſorum Dæmonum vim & induſtriam longè ſuperant, quæ in conſpectu amicorum & inimicorum, imò ingentis multitudinis diverſarum gentium edita ſunt, quæque neutiquam confutata ſunt illis ipſis temporibus, quibus viſa ſunt; ut miracula *Moſis* & Prophetarum, miracula *Chriſti* ejusque Apoſtolorum. Pariter in iisdem ſacris Codicibus exſtant innumeræ prædictiones, earumque implementum: ut captivitas Babylonica, Judæorum reditus in patriam ad tempus a *Jeremia* definitum, adventus Meſſiæ, everſio Hieroſolymorum, & gentis Judaïcæ diſperſio, Antichriſti adventus, cæteris prætermiſſis. Ea autem rejici nequeunt, niſi Antiquitatis auctoritas & Hiſtoriæ fides penitùs convellatur. Sed ex his & ſimilibus phænomenis colligere licet, dari Numen potentiſſimum, omniſcium, & ſapientiſſimum, quod naturæ præſidet, ejusque curſum mutare poteſt; quod futura præſentit, & omnium rerum cauſas regit & dirigit nutu ſuo efficaciſſimo. Sed hæc ſufficiant de Providentia; omnia enim argumenta, quæ eò faciunt, huc adducere non vacat, ne prolixior ſit noſtra Defenſio.

III. Attamen non poſſum non obſervare, quàm immeritò Numinis cœleſtis hoſtes ejus providentiam exprobrant duplici potiſſimùm de cauſa. Primò enim objiciunt, ſi Numen benigniſſimum & ſapientiſſimum mundum creaſſet & adhuc moderaret, tum proculdubio eum condidiſſet modo perfectiſſimo, & quoad formam & quoad uſum; volunt autem plura dari vitia in conformatione cœli & terræ, earumque diſpoſitione; cùm maxima terræ pars habitari nequeat ab hominibus aliisque animantibus, ob declinationem

tionem Eclipticæ, unde oritur intenſum frigus in Zonis frigidis, intolerabilis verò calor in Zona torrida. Quibus vitiis addunt vaſtiſſimas terrarum intercapedines, quæ coli nequeunt; ut & innumeras beſtias venenatas, aliasque potentiſſimas belluas, quæ hominibus infeſtiſſimæ & exitioſæ ſunt. Primò reſpondeo, ipſos Atheos habere notionem mentis præſtantiſſimæ, cui tribuunt vim & ſapientiam omnia condendi modo perfectiſſimo. Aliàs neſciunt quæ hîc loci excipiunt ore *Lucretii*, quæ hæc habet in divinum Numen *de Rer. Nat. lib.* v.

Quòd ſi jam rerum ignorem primordia quæ ſint;
Hoc tamen ex ipſis cœli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
Naturam rerum: tanta ſtat prædita culpa.

Secundò in Adverſarios retorqueo ipſorum Numen, naturam ſcilicet, ex qua omnia oriuntur, & in quam omnia reſolvuntur, eſſe malignam novercam, quæ conſtituit mundum *tantâ præditum culpâ.* Nec minùs iniqui ſunt hac in parte Athei: malunt enim defectus comminiſci in machina mundi, quàm mentem perfectiſſimam admittere; dum illi defectus in ſuum Numen recidere neceſſum eſt. Deinde ſordidi & vanâ ſui ipſius æſtimatione tumidi ſunt illi homines, qui omnia ſuâ utilitate metiuntur, & hunc mundum propter ſolum hominem conditum eſſe ſibi imaginantur: credimus enim totum non eſſe factum propter ullam partem, ſed ſingulas partes propter totum; totum verò propter conditorem, ut in ſuis operibus ſua attributa eluceant & celebrentur. Sunt & alia animantia aliæque naturæ noſtræ non inferiores, quæ creationis beneficio nobiſcum fruuntur, & quarum

cauſâ mundum eſſe conditum veriſimilius eſſet, ſi earum præſtantiam ſpectemus, ut Angeli aliique Spiritus. Deus autem omnia condidit propter ſeipſum & ſuam gloriam, ut nos docet *Salomo Proverb.* XVI: 4. Sed ſuum ingratum animum produnt Athei, quando divini Numinis bonitatem culpant in mundi hujus conformatione: Deus enim ſua beneficia in hominem aliasque res creatas profundit. Unde Stoïci rectè colligebant dari Deos, eorumque notiones hominum animis formatas eſſe, ſi ratio habeatur *rerum, quas percepimus, commoditatis & copiæ*, ut habetur apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* III. Nec ſi fuerint culpæ & incommoda in mundi viſibilis machina, & quoad formam & quoad uſum, ideo hæc forent idonea & juſta divinam beneficentiam exprobrandi cauſa; cùm multò plures ſint commoditates, quas ex hujus mundi uſu percipiunt homines, cæteraque animantia. Denique nulla eſt culpa, quam Numini divino in hoc mundo condendo ad certos uſus & fines affingunt Adverſarii: ipſos enim rogare velim, an meliorem mundi formam & ordinationem excogitare poſſint? an eò inſaniæ procedent, ut cum *Alphonſo* X. Hiſpaniarum Rege, peritiſſimo Aſtronomo conſentiant, qui dicere auſus eſt, ſi Deo a conſiliis fuiſſet in mundo condendo, elegantiorem & utiliorem ejus fabricam ipſi ſe ſuggeſſiſſe. Ita ut veriſſimum ſit, quod ait Poëta *Horatius Carm. Lib.* I. *Od.* III.

Audax Japeti genus;
Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ.

Si habeant, dicant: ſi nullam habeant meliorem mundi σχέσιν, cur præſentem culpent? Manifeſtum autem eſt, nullam poſſe dari præſtantiorem

mundi

mundi formam illâ, in qua conditus eſt, & adhuc conſervatur a divino Numine: cuivis enim primis Aſtronomiæ elementis imbuto, liquidò conſtat, ex illa ſolis declinatione 23. graduum ab utraque Æquatoris parte in lineam Eclipticam fieri, ut omnes terræ partes hujus luminaris lucis & caloris ad æquam menſuram participent. Imò ex ulla alia mundi ſphæræ poſitione multò plura fluxura eſſe incommoda incolis terræ, vel quoad longitudinem dierum & noctium, vel quoad caloris & frigoris gradum. Nec eſt tota illa terrarum intercapedo inter Tropicos prorſùs inhabitabilis, ut falſò crediderunt Antiqui: compertum enim eſt maximam ejus partem habitari, totamque eſſe habitabilem, ita ut ſub ipſo Æquatore, ut in inſula Sancti Thomæ, terra homines incolas habeat. Si autem ſint belluæ, quæ homini nocere poſſunt & aliquando nocent, tamen pleræque ejus aſpectum reverentur & fugiunt, earumque ferociſſimas & robuſtiſſimas domare novit princeps animantium, hominem dico. Nec eſt moles aut venenum belluæ res mala in ſe, ſed tantùm reſpectu hominis, cujus cauſâ alias res eſſe conditas non magis conſtat, quàm ipſum propter alias res conditum eſſe. Neque datur virus aliave pernicies, quin naturæ Auctor benigniſſimus medelam ſubminiſtret, imò in ipſis beſtiis venenoſis. Res autem ſingulæ omni numero perfectæ eſſe nequeunt, licèt admirabili concordiâ ſibi invicem ſubſerviant, & ad illos uſus & fines, ad quos deſtinatæ ſunt, conſtanter contendant. Tandem miror, Atheos objicere malum & bonum, benè aut malè comparatum in mundi fabrica, cùm nullam mali & boni certam regulam teneant, qui Deum reſque morales explodunt.

Con-

Concludamus igitur tantum abeſſe, ut illæ perperam dictæ culpæ in mundi machina & diſpoſitione cum divina providentia pugnent, quòd potiùs ſatis oſtendant dari Numen benigniſſimum & ſapientiſſimum, quod omnia cum conſilio ordinavit, ut ſint naturæ aliæ aliis ſuperiores & perfectiores, rerumque infinita diverſitas, quæ toti inſerviunt, ſuique conditoris ſapientiam & munificentiam prædicant.

IV. Secundò objiciunt rerum humanarum confuſionem & perturbationem, *tohu* & *bohu*, in quibus adminiſtrandis nocentes & innocentes, juſtos & injuſtos, pios & impios promiſcuè vexari & puniri, imò bonorum hominum conditionem ſæpiùs pejorem eſſe impiorum fato, nunquam non animadverſum eſt. Si verò daretur Numen præſtantiſſimum & optimum, quod mundum gubernet, tum proculdubio omnia in ſuo imperio dirigerentur ſecundum normam juris & injuriæ, ita ut ſontes punirentur, inſontes verò proſperis rebus uterentur. Primò reſpondeo, juxta Atheos nullum dari diſcrimen juſtitiæ & injuſtitiæ, pietatis & impietatis; explodunt enim Deum, ſubſtantiam incorpoream, virtutem & vitium, quibus in rebus fundatur Religio, bonique & mali moralis tota diſtinctio. Sin verò dentur ſontes & inſontes, pii & impii, tum mala pœnæ & infortunia, quæ perferunt, ipſis vertuntur beneficio; ut nimirum probentur eorum fides & conſtantia, & ut ad meliora contendant. Nihilominus in hac vita Deus non raro ſuæ iræ exempla in improbos, ſuæ verò benevolentiæ & curæ erga pios indicia conſpicua prodit, ut omnes homines fateri cogantur, eſſe Deum juſtum in cœlis, qui judicat in terris. Nec tanta eſt rerum humanarum perturbatio,

tamve immane *tohu* & *bohu* in his terris, quin ſarta & tecta ſervetur hominum ſocietas, Religio, Magiſtratus; quin exerceantur artes & diſciplinæ, quibus in rebus oſtenditur ordo. Tandem verò adveniet dies, quo omnia, quæ hac in vita caduca videntur diſtorta & diſcordantia, in elegantiſſimum & perfectiſſimum ordinem rediget Numen juſtiſſimum ſapientiſſimumque, quo cuique rependet pro meritis ſuis, & hominibus retribuet pœnas & præmia Deus; ita ut impii in ignem ſempiternum detrudantur, pii verò æternâ fœlicitate donentur. Ergo conſtat, dari Numinis cœleſtis providentiam, quæ omnia ſuſtinet, fovet, & dirigit, quidquid objiciant & obganniant Athei.

Cap. XXIV.

In quo probatur animæ humanæ immortalitas ex ejus natura, ut & ex deſiderio immortalitatis.

I. Sed minus nobis erit laborandum animæ immortalitate, & pœnis præmiisque, quæ in vita futura retribuentur, demonſtrandis; quæ Religionis capita *J. Tolandus* æquè credit, ac Spiritus incorporeos, & divinum Numen ejusque providentiam admittit: qui enim ſubſtantiam incorpoream rejicit, qui omnia nil niſi corpus eſſe contendit, quique naturam vel rerum univerſitatem ſolum Numen, neque genitum, neque unquam interiturum, eſſe ſtatuit; eum neceſſe eſt animæ immortalitatem negare, quæ ex animæ natura incorporea elicitur, ut mox videbimus.

mus. Deinde cum *Plinio Seniore Hiſt. Natur. lib.* VII. *cap.* LV. cujus defenſionem agit contra hebetiorum Criticorum injuſtam cenſuram, quaſi fabuloſæ & religioſæ credulitati addictus fuerit: cum *Plinio*, inquam, conſentit in animarum immortalitate impugnanda *Adeiſidæmon paragr.* 2. Nec neceſſe eſt id a me probari; cùm jam ſæpiùs oſtenderimus, noſtrum hominem, quavis datâ occaſione, alienâ uti perſonâ, quando quid impium inſinuare vult; cùm præterea illorum hominum impietatem, quos ſubinde auxilio vocat, nunquam improbarit, aut reprehenderit, multò minùs confutarit; cùm denique ab illis exemplis Atheïſmum redolentibus abſtinere debuerit, ne in offenſionem Chriſtianorum caderet. Immortalitas autem animæ humanæ elicitur ex ejus natura incorporea, quæ cùm nullas habeat partes, neque dividi, neque corrumpi poteſt: ſuperiùs enim oſtendimus dari ſubſtantiam incorpoream, & ejusdem generis eſſe animam humanam, cujus nil eſt commune cum corpore, imò nil quod non ſit prorſùs diverſum a corpore & corporis modis; quia mens, cogitatio, vita, intellectus, voluntas, appetitus, & ſimiles affectiones, quæ neceſſariò includuntur in natura incorporea, non poſſunt confici & componi ex partibus, magnitudine, ſitu, figura, aliiſque corporis affectionibus. Inde autem ſequitur, hominum animos eſſe ſempiternos, eò quòd nec ex materia generentur, neque in materiam reſolvantur; parique ratione, eos eſſe veras ſubſtantias, a corpore toto genere diſtinctas, quæ annihilari nequeunt, niſi volente ſummo Numine. Vis hujus argumenti in eo conſiſtit, animam ſcilicet humanam interire poſſe, vel per diviſionem, vel per annihilationem. Neutrum autem dici

dici poteſt: mens enim, quæ a partibus, extenſione, & quantitate abhorret, eſt neceſſariò indiviſa, & conſequenter incorrupta, hoc eſt, ſempiterna & immortalis. Multò minùs annihilatur: ipſi enim Athei fatentur, ut nil ſit ex nihilo, ſic quidquam in nihilum nunquam redire. Præterea, ſi quid minimum ſuâ ſponte annihilaretur, tum omnia poſſent annihilari, & totus mundus tandem in nihilum redigeretur; quod abſurdiſſimum eſt.

II. Præterea homines deſiderio immortalitatis tenentur: nemo enim non cupit eſſe & vivere; nec tamdiu vivet, quin diutiùs, imò in ſempiternum vivere velit. Omnes quidem miſeriam fugiunt & averſantur: nullus verò mortalium eò dementiæ & deſperationis unquam procedet, ut ſuæ naturæ annihilationem ſeriò cupiat; quisque enim ſeipſum diligit: amor autem ſui cupidinem vivendi ſine fine neceſſariò involvit. Eodem refert *Cicero* illud ſtudium, quo homines flagrant, præſertim juſtiores & ſapientiores, ſui nominis memoriam ad poſteros propagandi, & immortalitate donandi, vel liberos propagando, vel monumenta perennia erigendo, vel præclara agendo; nec dubitat eidem cauſæ adſcribere quidquid laude digniſſimum homines moliuntur & ſuſcipiunt. Quis autem negare auſit, dum homines ſuæ famæ ſempiternam gloriam tanto cum ſtudio proſequuntur, eos malle ſuæ naturæ perennitatem? quid enim proderit homini penitùs interituro ſui nominis & ſuorum præclarè geſtorum memoria apud poſteros, ſi poſt mortem nullam fore voluptatem vel pœnam, nec ullum honorem aut infamiam ſe paſſurum ipſemet perſuaſum habeat? Ergo deſiderium vitæ ſempiternæ, quod hominibus a natura inſitum eſt, ſit ſti-

mulus gloriæ, quo eorum animi incitantur ad laudem quærendam, & ad vituperium fugiendum, ut & ad nomen ſuum immortalitate donandum. Sed ut id clariùs pateat, huc addam conſenſum populorum: a jactis enim mundi fundamentis immortalitatis ſpem unanimi conſenſu tenuerunt homines: qua de cauſa *Moſes*, omnium Scriptorum antiquiſſimus, Deum dari, & hominum animos immortales eſſe, ex profeſſo probare ſupervacaneum duxit; quia hæ Religionis partes præcipuæ apud omnes gentes in confeſſo erant. Nec ſatis mirari poſſum illorum hominum impudentiam, qui (conſentiente *J. Tolando* in alterâ Diſſertatione, quæ *Origines Judaicæ* inſcribitur *paragr.* 15.) volunt *Moſem* fuiſſe Pantheïſtam, *quòd animorum immortalitatis, aut præmiorum & cruciatuum poſt mortem futurorum nullam fecerit mentionem:* illis enim priſcis temporibus de his Religionis capitibus nulla fuit dubitatio, multò minùs altercatio; cùm Atheïſmus monſtrum ſit multò recentius, & deteriorum ſæculorum dira propago. Itaque *Cicero de Nat. Deor. lib.* II. aſſerit, *animos Heroum remanere & æternitate frui, imò eſſe optimos & æternos.* Et *de Legib. lib.* II. dum legem divinam & antiquiſſimam de conſecratione Heroum commentatur, notat, *eam indicare omnium quidem hominum animos eſſe immortales, ſed fortium bonorumque divinos.* Et in ejusdem libri calce ſubjungit, *Platonem eadem dixiſſe de immortalitate animæ, & reliqua poſt mortem tranquillitate bonorum, pœnis impiorum.* Et reverâ ſuperiùs oſtendimus, non ſolum *Platonem*, ſed & *Ariſtotelem*, *Pythagoram*, & ut altiùs rem repetam, *Thaletem*, *Pherecydem*, qui, ut *Cicero* habet *Tuſcul. Quæſt. lib.* I. *primum dixit hominum animos*

mos eſſe ſempiternos, uno verbo, omnium Philoſophorum, præſertim antiquiſſimorum & ſapientiſſimorum, partes unanimiter admiſiſſe immortalitatem animorum. Sic *Seneca Præfat. ad Quæſt. Natur.* ſuum dilectum *Lucilium* alloquitur: *Et hoc habet animus meus argumentum divinitatis ſuæ, quòd illum divina delectant, nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis.* Additque, *contemnit domicilii prioris anguſtias.* Pariter ex *Herodoto lib.* 11. & ex *Laertio Proœm. pag.* 7. diſcimus, Ægyptios credidiſſe naturam animæ eſſe immortalem, & quò politiores & ſapientiores erant populi, eò certiores fiebant de animorum immortalitate, eamque confidentiùs affirmabant. Donec *Epicurus* aliorum Philoſophorum & omnium populorum opinionem de immortalitate animæ a priſcis temporibus receptam impugnare auſus eſt, cùm Deorum naturam, providentiam, & metum, ideoque immortalitatem animæ humanæ, & pœnas aut præmia poſt mortem referenda exploderit. Sed ut unum aut alterum monſtrum naturæ ordinem non evertit; ita unus & alter Atheus non tollit conſenſum generis humani de animorum immortalitate: illum enim naturæ ſenſum ex gentium conſenſu voco, qui omnibus ſæculis a maxima & ſaniore hominum parte receptus eſt; quod compertum habemus de animorum immortalitate & vita futura, quæ apud omnes Philoſophos & omnes gentes pro certis nunquam non habita ſunt, paucis Atheis exceptis. Licèt aliter ſentiat *J. Tolandus*: nam in ſecunda Epiſtola ad Reginam Boruſſiæ Anglicè conſcripta affirmat, opinionem de immortali noſtræ animæ natura primò fluxiſſe ab Ægyptiis ad Perſas, deinde ad Græcos, & a Græcis ad Romanos cæteraſque gentes Europæas: ipſos verò Ægyptios

hanc opinionem hauſiſſe ex nimio & ſuperſtitioſo mortuorum cultu. Eodemque refert opinionem de cœlo & inferis, de pœnis & præmiis poſt mortem futuris. Defunctorum enim nomina, ait ille, imponebantur aſtris, ut eorum memoria conſervaretur in illis perennibus luminaribus. Unde imperitum vulgus credere incœpit, amicorum animos in ſyderibus remanere, & cum ipſis in æternum duraturos. Bellè profectò excogitatum! Primò enim Ægyptii nullam certam notionem æternitatis ſyderum habebant; cùm ipſimet Athei, nominatim Epicurei, velint, materiam ſolam nunquam interituram, dum omnia corpora, & omnes materiæ formæ mutationi obnoxiæ ſunt, & hanc eſſe antiquiſſimam & primævam Philoſophiam. Deinde, quis ſeriò putet, totam gentem, multò magis totum genus humanum ſibi perſuaſiſſe, homines ſuperſtites eſſe poſt mortem, eo quòd ſydera in æternum duratura eſſent, in quibus animos Heroum remanere credebantur: nam quotidie obſervabant, homines morte interimi, nec unquam credidiſſent eorum animos eſſe ſempiternos, niſi internum ſuæ immortalitatis ſenſum habuiſſent. Idem dico de aliis hominibus, quorum corpora oblita in ſepulchris ſubterraneis integra & incorrupta ſpatio mille annorum remanebant: quidquid enim fabulatur *J. Tolandus* in Epiſtola mox memorata, naturæ ſenſus & quotidiana experientia plus valet ad opinionem confirmandam, quàm ritus & cultus circa defunctos, qui in diverſis gentibus diverſi ſunt. Denique Ægyptii ad opinionem immortalitatis animorum credendam adduci non poterant ex cultu mortuorum, nec unquam ſibi perſuaſiſſent hominum animos remanere ſempiternos in aſtris; credebant enim mor-

mortuorum animos transmigrare de uno animante in aliud, prout tradunt *Herodotus* & *Laërtius* locis mox adductis. Itaque, procul abeſt, ut ex nimio mortuorum cultu primùm fluxerit opinio de immortalitate animæ, quòd potiùs ex immortalitatis ſenſu & ſpe nata videatur illa ſumptuoſa & religioſa circa defunctos cura, quorum corpora tantis honoribus proſequantur amici ſuperſtites, eo quòd noverint eorum animos remanere poſt mortem; aliàs tantos ſumptus tantamque curam nunquam impendiſſent circa mortuos, ſi perſuaſum habuiſſent homines penitùs interire morte, nec ullo ſenſu gloriæ aut vituperii affici poſſe. Nec minus audaciæ oſtendit *J. Tolandus*, quando Epiſtolâ memoratâ *paragr.* 14. ſine ambage aſſerit, omnes Philoſophos, ut *Platonem*, *Pythagoram*, & alios, qui immortalitatem animorum & vitam futuram docebant, duplici uſos eſſe doctrinâ, alterâ privatâ, alterâ verò publicâ; hanc omnibus indiſcriminatim communicaſſe, illam verò ſibi ſuisque Diſcipulis & Myſtis ſervaſſe; idcirco noſter homo vult, omnes Philoſophos fuiſſe improbos ſycophantas, qui aliud apud ſe ſentiebant & privatim docebant, aliud verò litteris committebant, & qui vanis terroribus ſpeque frivolâ vitæ futuræ populos decipiebant & in officio continebant, dum ipſimet Athei erant, eaque omnia, quæ de animorum immortalitate, de pœnis & præmiis poſt mortem futuris dictitabant, pro meris figmentis & terriculamentis habebant. Sed hæc gratis dicuntur, & hoc eſt ſecare, non verò ſolvere nodum: non enim conſtat Philoſophos, ſaltem eorum maximam & optimam partem, duplicem habuiſſe doctrinam, & aliud ſenſiſſe, aliud verò dixiſſe; cùm ex eorum ſcriptis de eorum ſententia judi-

cari debeat. Præterea Scholæ, quas fundarunt, eorum nomina & placita mordicùs tenuerunt, ut exinde liquere poſſit, quid quisque Philoſophorum docuerit & ſenſerit. Sed *Johannes Tolandus* & alii ejus ſimiles id totis viribus oſtendere ſtudent, Gentilium ſcilicet præſtantiſſimos & ſapientiſſimos reverà Atheos fuiſſe, quidquid e contrario in eorum & aliorum ſcriptis exſtet: ut id inde efficiant, Religionem ſoli vulgo imperito nunquam non placuiſſe; quo effecto, ſperant fore, ut nobiliſſima & doctiſſima hominum pars ſimplici plebeculæ Religionem tandem relinquat, & Atheïsmo patrocinetur. Licèt autem ipſis daremus, plures Philoſophorum prævaricatos opinione æquivocaſſe, quid tum? An inde ſequetur eos totum genus humanum decipere potuiſſe? illos enim homines rogare velim, quomodo factum eſt, ut hæc opinio religioſa omnium mortalium animos invaſerit, omniaque ſæcula pertigerit? An omnes populi concilium habuerunt, ut de immortalitate animorum & de pœnis & præmiis poſt mortem reliquis conſentirent, eaque dogmata in leges ſancirent? Profectò omni laude & veneratione dignum foret hujusmodi concilium. Vel quis ſeriò putet totum genus humanum unà conveniſſe, ut vanâ opinione ſeſe decipi ſinerent, & ut in illo errore omnibus locis & temporibus permanerent? Unde obtigit, ut illa opinio tandem non evanuerit, cùm tamdiu fuerint homines impii, qui eam ex aliorum hominum animis eximere conati ſint, & cùm aliæ opiniones vel artes penitùs perierint, vel diverſas formas paſſæ fuerint; ſpes verò immortalitatis in dies viguerit? Colligamus igitur deſiderium immortalitatis eſſe vocem naturæ, quia eam uno ore conclamant omnes homines,

nes, & quia omnes populi, licèt loco, tempore, linguâ, moribus, & legibus diverſi, de ea unâ mente conſenſerunt. Aliàs nil dici poſſet homini naturale; nec hanc notionem & ſpem aliunde haurire potuerunt mortales, niſi a natura ipſa, vel a traditione protoplaſtarum, qui ſenſum & deſiderium immortalitatis a natura ipſa neceſſariò acceperunt.

CAP. XXV.

In quo iterum probatur animæ immortalitas a natura Dei, & Adverſariorum argumenta refelluntur.

I. Hæc diſſerere volui, ut inde liqueat immortalitatem animæ non eſſe vanam & temerariam opinionem, quæ, ut volunt Athei, certo tempore & loco credi cœpit, multò minùs eam ex ſuperſtitione Ægyptiorum circa mortuos primò natam eſſe: eſt enim deſiderium a natura nobis inditum, ideoque ab ipſo Deo, qui nos fallere non poteſt. Nec eſt ſpes immortalitatis quid ſimile deſideriis imbecillorum aut ambitione flagrantium hominum, qui ad quævis abſurdiſſima & maximè impoſſibilia, vel timenda, vel ſperanda, proni ſunt; niſi dicamus omnes gentes totumque genus humanum nunquam non inſaniiſſe. His adde, hominem eſſe rationis participem, bonique & mali moralis conſcium & compotem, cùm a natura voluntate liberâ præditus ſit; ideoque eum pœnas aut præmia mereri neceſſum eſt. Quia verò hac in vita illa juſta pœnarum & præmiorum retributio nullomodo

ſervatur, cùm pii ærumnoſi ſæpiùs ſint, impii verò pace & proſperitate fruantur; inde ſequitur dari vitam futuram, in qua hominum animi ſuperſtites mercedem referent pro ratione operum ſuorum, donec eorum corpora die ultimo reviviſcant. Hæc verò confirmantur a conſideratione Dei naturæ, qui cùm bonus & juſtus ſit, non poteſt non remunerari pios, impios verò pœnis damnare. Unde inferre licet, homines poſt mortem remanſuros eſſe, ut in pœnis & præmiis cuique juxta merita ſua ſtatuendis ſuam perfectam juſtitiam infinitamque bonitatem, ut & exquiſitiſſimam ſapientiam, quæ tum omnia in ordinem coget in mundo ſpirituum æquè ac in mundo corporum, ut in Republica naturali, ita in Republica morali, Deus ter Opt. Max. manifeſtò oſtendat. Nec nos morari debent, quæ a Religionis hoſtibus hîc loci excipiuntur ad animæ immortalitatem impugnandam, quam corpoream ipſiusque corporis humani harmoniam, aut aliud quid exile corpuſculum, ideoque morti & corruptioni obnoxiam eſſe volunt; vel quam corpori humano ita inhærere, & ab eo ita pendere affirmant, ut ſeorſim a corpore aliquid agere & perficere nequeat; unde colligunt animos hominum a corpore ſejunctos remanere non poſſe, nec poſt mortem ſuperſtites eſſe, ſed cum ipſo corpore penitùs interire: abundè enim probavimus, animam humanam eſſe incorpoream, ejusque facultates, actiones, affectiones toto genere a corpore differre; unde ſequitur eam eſſe indiviſam & incorruptam, ut & ſeorſim a corpore vivere & remanere poſſe.

II. Sed inde liquet primò quàm iniqui ſint Athei, qui naturæ ſenſum, deſideria, & ſpem impugnare audent & opprimere ſtudent: malunt enim

enim præjudicatis opinionibus vaniſque conjecturis aſſentari, quàm generis humani voci parere, & naturam ducem ſequi, quæ omnibus hominibus, nequidem ipſis impiis exceptis, (qui ſi vitæ præſentis deliciis frui in ſempiternum ſinerentur, nunquam non vivere & remanere cuperent) in ipſa origine æternitatis deſiderium indidit. Quid injuſtius dici poteſt illorum paucorum homuncionum temeritate, qui nonnullas frivolas quæſtiones & objectiones omnium populorum & hominum comprobatæ ſententiæ conſtantique traditioni, ideoque naturæ humanæ ſenſui comparare & opponere non detrectant? Nec minùs invidioſi ſunt in genus humanum, quod penitùs interire volunt; pereant, ſi velint Athei: licèt hoc ſit quod me dolet; ipſis enim meliora precor, quàm ipſimet cæteris hominibus. Attamen peſſimè merentur de hominum genere, cui interitum & internecionem ex toto corde vovent, quique id unum ſtudent, ut homines a ſpe & ſolatio immortalitatis, quo ſtimulo ad præclarè agenda & ad infortunia conſtanter perferenda eorum animi accenduntur, retrahant. Præterea animi abjectiſſimi indicium produnt illi homines, qui ſe penitùs interituros cupiunt, & ſuæ naturæ annihilationem exoptant; cùm ipſa bruta ſuæ vitæ tuendæ & conſervandæ ſtudeant; quæ ſi rationis, ſenſus, & judicii participarent, proculdubiò ſuæ vitæ perennitatem & æternitatem exoptarent. Athei verò ipſis brutis abjectiores & pejores nil non agunt, ut ſibi perſuadeant ſe perituros, & ut ex animo cupiant ſuam naturam in nihilum redactam iri. His adde, maximè improbum eſſe illud hominum genus: nam ſui ipſius internecionem poſt mortem cupiunt, ut ad omnem laſciviam & artes illicitas ſine fræno proruant.

ruant. Cùm certo certius ſit, impios ſe penitùs perire in morte velle, non quòd ſuæ naturæ interitum propriè exoptent; ſed quia metuunt pœnas, quas eos poſt mortem manere norunt, & quibus turbantur & torquentur, dum genio indulgent; ideoque Numinis vindicis & pœnarum æternarum metum abjiciunt, ut infamibus voluptatibus diffluere quietis ipſis liceat; hoc eſt, imprimis delectantur illicitis cupiditatibus; deinde, ut iis ſecuri & tranquilli fruantur, id unum agunt, ut perſuaſum habeant, nil poſt mortem timendum, nilque ſperandum, cùmque ipſis ſit poſt mortem nulla voluptas, ideo præſenti abutuntur & ſeſe ingurgitant; ut illi impii, qui ab Apoſtolo 1. *Corinth.* xv: 32. dicentes inducuntur: *Edamus & bibamus: cras enim moriemur.* Ita ut ex malis moribus & præſentis vitæ deliciis plerumque naſcatur *monſtrum illud horrendum ingens, cui lumen ademptum*, Atheïſmus ſcilicet. Licèt alii hujus generis homines ſint, quos Galli *des Eſprits forts* vocant, qui emunctioris naris, acutioris ingenii, & conſtantioris animi famam ex Atheïſmo captant; dum mulierculis & imbecillis hominibus Religionem relinquunt. Sed illud nomen ſapientiæ & conſtantiæ immeritò ſibi arrogant, cùm ſint ipſis mulierculis, quarum Religionem adſpernantur, hebetiores & inſipientiores: ſi enim nulla detur animorum immortalitas, ſi pœnæ & præmia poſt mortem referenda meræ ſint fabulæ vanaque terriculamenta, tum piis nihilo pejus erit ipſis impiis: ambo enim penitùs intereunt. Sin verò contrarium verum eſſe contigerit, tum impii in pœnas æternas detrudentur, pii verò in vitam beatam recipientur. Ut inde liqueat hos illis prudentiores eſſe, quia tutiùs & certiùs procedunt: pii enim nil periclitantur,

tantur, qualiscunque fuerit mortis eventus; impii verò æternam miſeriam periclitantur, ſi hominum animi poſt mortem remanent. Stultiſſimè autem ille agit qui tantum tamque horrendum diſcrimen adit, niſi contrarium certiſſimis & invictiſſimis argumentis demonſtrari & ſuæ conſcientiæ comprobari queat. At nil minus: ſuperiùs enim abundè oſtendimus antiquitatem & traditionem omnium ſæculorum, omnium gentium conſenſum, naturam ipſam & rationem humanam (ut divinam auctoritatem taceam, quæ apud illos homines non valet) a Theïſtarum partibus ſtare; dum Athei nonnulla futilia a natura & conditione humani animi deſumpta objiciendo, & multò futiliora quærendo de Religione, noſtram fidem labefactare conantur. Poſſunt quidem vitæ futuræ ſpei nebulas aliquomodo offundere; nunquam verò eam tenebris prorſùs opprimere. Norunt quædam dubia in Religionis fundamenta movere; at nunquam demonſtrare, nec ſibi plenè perſuadere poterunt hominum animos in morte penitùs interire, nec ullam dari vitam poſt mortem futuram. Quod tamen ipſis extra dubitationis aleam omninò demonſtrandum incumbebat: nam evidentia in cauſa Atheorum neceſſariò requiritur, & nulla demonſtratio, quæ non ſit Mathematica, homini prudenti hac in re ſatisfacere debet, quia multò majus diſcrimen eſt a parte Adverſariorum. Nec prudentiùs agunt illi homines, qui perire, quàm reſipiſcere, qui voluptatibus indulgere, quàm credere vitam futuram malunt; præſertim, cùm nihil ſit in natura humana præſtantius ipſâ virtute, ut juſtitia, temperantia, &c.

Cap. XXVI.

In quo oſtenditur, ſuperſtitionem, multò minùs Religionem, eſſe cauſam malorum, quæ eis a J. Tolando *adſcribuntur*.

I. Tandem ad quintum & ultimum noſtræ Defenſionis locum pervenimus, in quo breviter disquirendum eſt, utrum Atheïsmus, an verò ſuperſtitio hominum ſocietati magis noceat? Poſterius approbat & aliquot ratiunculis concludit *Adeiſidæmon*, nominatim *paragr*. 23. 24. cui aſſentiri non poſſumus. Fateor quidem, ſuperſtitionem & Atheïsmum Reipublicæ nocere & ſæpiùs nocuiſſe, quod probatione non eget, præſertim quia id pro confeſſo habet *J. Tolandus*, qui multò meliùs & de Republica & de Religione meritus eſſet, ſi illam animorum Scyllam & Charybdim vitare homines docuiſſet; ſi ſuperſtitionis & Atheïsmi ſcopulos retegere & ſollicitè notare non dedignatus eſſet. Sed quia id unicè ſtudet, ut oſtendat ſuperſtitionem magis exitioſam eſſe Reipublicæ, quàm purum putum Atheïsmum, ideo videamus an quidquam in ejus ſententiam reponi poſſit, necne? Primò, in hac controverſia Religio a ſuperſtitione probè diſtingui debet; ea enim confundit *Adeiſidæmon paragr*. 23. ubi adductis his *Lucretii* verbis,

Tantum Religio potuit ſuadere malorum!

illicò ſubjungit, *in plerisque Auctoribus Claſſicis (quod mille poſſet demonſtrare exemplis) Religionis vocem uſurpari pro quavis abſurdiſſima ſuperſtitione.*

ſtitione. Nec ea hîc loci diſtinguit noſter Cenſor: quod tamen facere debuiſſet, ut omnem ambiguitatem & impietatis invidiam fugeret: certum enim eſt Religionem veram & ſinceram pietatem Reipublicæ nullomodo nocere, & tantum abeſſe, ut homines rebellionem, cædes, fraudes, & alia ſcelera ſuadeat, quòd potiùs eos a crimine retrahat, & ad virtutem ſectandam ipſis præluceat. Itaque Religio, ſi pura & incorrupta ſit, nunquam accendit dirum illum furorem, qui urbes florentiſſimas ſubvertit, qui populoſiſſima regna depopulatur, qui conjunctiſſima disjungit, qui immanes cultus invexit, cùm omnia charitatis, humanitatis, & juſtitiæ officia nobis commendet & inculcet. Si autem ii, qui veram Religionem profitentur, crudeliſſima & injuſtiſſima facinora unquam perpetrarint, ea imputanda ſunt, non Religioni, ſed hominum pravis affectibus & corruptis moribus. Nec ſuperſtitio ſola tantas & tam diras concitat procellas, quas tam pompoſè deſcribit *Adeiſidæmon paragr.* 23. *pagg.* 68. 69. licèt enim ſuperſtitio ſit cultus religioſus ab ipſis hominibus inventus, vel ſi in prima origine a Deo inſtitutus ſit, tamen ab hominibus corruptus & in alienum ſenſum alienosque uſus præter inſtitutoris mentem & conſilium diſtortus: licèt, inquam, ſuperſtitio (ut Apoſtoli ad *Coloſſ. cap.* 11. *verſ.* 22. 23. verbis utar) ſit κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐθελοθρησκεία, quâ homines plerumque furunt & ad damnoſam zelotypiam abripi poſſunt; nihilominùs ſuperſtitioſus Numen credit & timet, necnon diſcrimen inter bonum & malum morale, & inter pœnam & mercedem, quam ob id a parte Numinis merentur homines, libenter agnoſcit; ut patet exemplo Gentilium & Muhammedanorum, alio-

rumque populorum, qui abſurdiſſimas & corruptiſſimas religiones coluerunt; quod non impedit, quominùs optimas leges ſanciverint, ſanioraque humanitatis & juſtitiæ præcepta tradiderint, & in ſe invicem obſervent. Iis autem inſtitutis & notionibus naturalibus aliquis leviter imbutus, dummodo ea ſincerè credat, quod in homine ſuperſtitioſo præſupponitur, a diſſidiis, tumultibus, odio, homicidiis, cædibus, fraudibus abſtinere & abhorrere ſuâ ſponte conſentiet, injuſtamque perſecutionem damnabit; prout diſcimus exemplo *Plinii Junioris*, qui de Chriſtianorum moribus ad *Trajanum* cum laude ſcribit, & ab illis hominibus Religionis causâ ſupplicio afficiendis Imperatorem abducere ſtudet. Præterea ſunt & aliæ peſſimæ corruptelæ, quæ ſuperſtitionem adjuvant, quæque maxima cenſeri debent cauſa illorum malorum, quæ ſoli ſuperſtitioni tribuuntur, ut ignoratio, immanis indoles, ſuperbia, avaritia, ambitio, &c. hi enim improbiſſimi affectus ſuperſtitionem plerumque incendunt & ſtimulant, ut ſcilicet ipſis ſubſerviat; cùm nequiſſimæ artes fœdiſſimæque voluptates pallio ſuperſtitionis, quæ in qualibet Secta pro Religione habetur, tegi & perfici ſoleant; ita ut, ſi ſola inter homines ageretur Religionis cauſa, affirmare auſim, vel pauca, vel nulla inter eos obortura odia, diſſidia, bellaque, præter hujusmodi lites, quæ inter Philoſophos aliasque Doctorum Sectas nonnunquam accenduntur: omnes enim homines aſſentationem captant, nec ullus libenter perferet, qui a ſe diſſentiunt; imò ſæpiùs obtigit & adhuc úſu venit in illis locis, in quibus prævalet Philoſophia Ariſtotelica, ut indidem exulet Carteſiana. Sic homines dogmata religioſa mordicùs tenent, non tam quia a

Reli-

Religione præcipiuntur, quàm quia ſibi placent, illis a cunabulis imbuti ſunt, eaque patrum exemplo & auctoritate confirmata acceperunt. Tamen diffiteri nolim, id diſcriminis intercedere inter religioſa inſtituta & alia placita, quòd illis magis ardeant hominum animi, quia majoris ſunt momenti.

II. Denique in hac controverſia de turbis & malis, quæ in ſuperſtitionem & ab Atheis in Religionem vertuntur, ii qui cum imperio ſunt a privatis hominibus, magiſtrique a diſcipulis accuratè ſeparari debent. Plebs quidem ſuperſtitione plerumque flagrat, & ad horrenda ſcelera patranda Religionis tuendæ aut propagandæ ergo ſæpiùs ruit; at ipſi homines plebeji non ſunt primaria & præcipua illorum malorum cauſa; ea verò imprimis referri debent ad magiſtros ſuos, qui eos iniquiſſimis præceptis imbuunt, & ad nequiſſima facinora incitant, ut ſuæ avaritiæ, ambitioni &c. ſerviant. Id patet exemplo Pontificiorum, quorum Papæ, Concilia, Epiſcopi, & Sacrificuli ſanciverunt, *fidem non eſſe ſervandam hæreticis*, eosque, qui ab Eccleſia Romana diſſentiunt, ferro, igne, & veneno penitùs exſtirpandos in majorem Dei gloriam & ad *Chriſti* regnum ampliandum, ut hi nefarii homines obtendunt, dum reverà rem ſuam tantummodo meditantur. Idem cogitandum eſt de aliis pravis religionibus. Illi autem primores & principes viri, qui hujusmodi ſceleroſa dogmata inſtituunt, iisque populos imbuunt, & ad arma cædesque ſubinde concitant, non tam cenſeri debent ſuperſtitioſi quàm Athei, qui ſub Religionis ſpecie ſua facinoroſa conſilia perficiunt, & privatis vulgaribusque hominibus, tanquam validiſſimis inſtrumentis, ad ſuum imperium in aliorum conſcientiam & bona

proferendum opportunè utuntur: ipſi enim neſcire nequeunt, homicidia, cædes, perjuria, fraudes &c. Deo nullomodo placere; multò minùs Religionem per crimina propagari debere aut poſſe; cùm ipſum lumen naturale omnibus hominibus indicet certam & indubitatam hujus præcepti veritatem, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; ideoque fidem cuivis ſanctè ſervandam damno noſtro, nec ullum, eo quòd a nobis diſſentiat, ſupplicio afficiendum eſſe. Qui verò Religionis pallio induti teterrima ſcelera perpetrant, flammasque belli & perſecutionis in Heterodoxos accendunt, eos Atheos eſſe, ſi non theoreticos, ſaltem practicos, neceſſum eſt; quia primis & ſimpliciſſimis Legis naturalis & moralis notionibus obſiſtunt, easque pedibus conculcant contra Religionis nomen & normam: ſuperſtitioſus enim Numen admittit, colit, & metuit, cujus timor & cultus, ſiquidem ſincerus ſit, inde neceſſariò oritur, quia ſibi conſcius eſt boni aut mali moralis, & prout hoc aut illud fecerit, certò certiùs novit ſe a Numine puniendum aut remunerandum eſſe; quòd ſi ſingula & particularia præcepta moralia non intelligat, generaliora tamen & capitaliora eum ſcire neceſſe eſt: cùm horum cauſâ ſuperſtitioſus ſit & pro religioſo habeatur. Atheus verò cuilibet opinioni aſſentatur, omnesque religiones nullo diſcrimine habet, dummodo ipſi proſint: imò *religioni ſtabilitæ per fas & nefas omnes alios vult conformes, ne ſuſpectus evadat*, fatente *Adeiſidæmone paragr.* 24. *pag.* 78. ita ut alteri religioni aſſentiri, alteram verò odio proſequi Atheo proclive ſit, prout ſuâ intereſſe videbitur. Nec ab hoc homine diſſimiles ſunt illi impii ſycophantæ, qui per cædes & ſcelera Religionem promovere conantur,

&

& diſſidiorum, bellorum, turbarumque in Republica concitatarum ſæpiùs torres exſtiterunt; quod mille poſſet demonſtrari exemplis: quid enim impulit *Hamanum* Hagagitam ad totius gentis Judaïcæ internecionem meditandam & a Rege libello ſupplici extorquendam, præter ſuperbiam & immane odium in Judæos unius *Mardochæi* causâ? ut autem ſui iniquiſſimi conſilii compos fieret, apud Regem prætexit illius populi leges a cæteris populis diverſas eſſe, eumque leges regias non ſervare, ut ſcilicet id Regi Perſarum perſuaderet, nullomodo de re ſua eſſe, hanc immorigeram & contumacem gentem in ſuis dominiis tolerare; denique ingens auri pondus in fiſcum regium pependit. Itaque nec Regi, nec ejus Satrapæ, Judæorum perniciem ſuaſit Religio; ſed alter avaritiæ & politicæ parebat; alter verò invidiâ & vindictâ flagrabat in Judæorum gentem *Eſth.* III: 8. Iterum quis putet illum impium Papam *Leonem* X. qui dicere ſolebat, hanc fabulam *Chriſti* & Evangelii Eccleſiæ & Sedi Romanæ tantum profuiſſe, Religionis & pietatis monitu in Lutheranos graſſatum eſſe, & ex Vaticano fulmina ſua in eos vibraſſe? Vel, ut ad noſtra tempora veniam, nemo ſanioris judicii ſibi unquam perſuadebit, *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem, & qui injuſtiſſimorum conſiliorum ipſi auctores ſunt, (Jeſuitas dico) Reformatos exſtirpaſſe tantùm ſuperſtitionis ſuæ promovendæ causâ; cùm cuivis attendenti manifeſtum ſit, hanc injuſtiſſimam & immanem perſecutionem ambitioni, politicæ, gloriæ cupidini impotenti, avaritiæ, & fœdis voluptatibus, vel Regis, vel illorum qui ipſi a conſiliis ſunt, imprimis adſcribendam eſſe. Plura exempla addere ſupervacaneum duco.

Cap. XXVII.

In quo probatur, Atheïſmum Reipublicæ exitioſiorem eſſe ipsâ ſuperſtitione.

I. Hæc autem præmittere volui, ut inde liqueat, non verè dicere Atheos, quando ſuperſtitionem, vel potiùs Religionem, quæ ab ipſis pro ſuperſtitione habetur, his tritis verſibus *Lucretianis* exprobrant,

Tantum Religio potuit ſuadere malorum!
Religio peperit ſceleroſa & impia facta.

Nam corrupti hominum mores & pravi affectus plerumque in cauſa ſunt illorum malorum, quæ religioſis aut ſuperſtitioſis vulgò adſcribuntur; nec tam a ſuperſtitione, quàm ab Atheïſmo oriuntur illæ turbæ & cædes, quæ in zelotypiam & veritatis amorem vertit vulgus hominum; cùm omnes fateri debeant, illos reverà Atheos eſſe, qui alios homines impiis & ſceleroſis dogmatibus imbuunt, qui ex errore alieno quæſtum faciunt, quique ſuo commodo Religionem ſubjiciunt; præſertim, quia illi magiſtri & principes viri, qui vel religioni vel regno præſunt, cæteris hominibus doctiores & ſapientiores ſunt; ut illi viri docti & nobiles, qui Religionem Romanam, licèt commentum eſſe norint, approbare ſimulabant, dum ipſis videbatur Reipublicæ moderandæ, augendæ, & conſervandæ imprimis idonea, notante *Adeiſidæmone paragr. 6. pag.* 12. Sed demus, ſuperſtitionem aliquando peperiſſe & adhuc parere poſſe cædes & ſcelera in magnum Rei-

Reipublicæ detrimentum, vel Reges Magiſtratus, Clerum, & populum ex ignoratione & cæco zelo alios a ſua Religione diſſentientes odio & armis nonnunquam perſequi: tamen inde non efficietur, ſuperſtitionem Reipublicæ multò exitioſiorem eſſe quàm purum putum Atheïſmum. Quod ut manifeſtum fiat, breviter inquirendum eſt, quid conveniat, quid verò diſconveniat inter Atheum & ſuperſtitioſum: primò enim ambo patiuntur illos pravos affectus illosque corruptos mores, qui Reipublicæ nocivi ſunt. Superſtitioſus quidem vel a natura vel ab arte benè comparatus eſſe poteſt, æquè ac Atheus, quod, ut puto, non inficias ibit *Adeiſidæmon*; nihilominus ambo propriâ opinione indulgent, nec utervis a ſua ſententia diſſidentes libenter feret; ita ut Atheus Religionem tanto odio proſequatur, quanto ſuperſtitioſus Atheïſmum aliaque dogmata a ſuis diverſa, præſertim quia Athei Religionem damnant ut hominum ſocietatis peſtem, eo quòd alium metum ſupremæ poteſtatis timori ſuperiorem intrudat, & aliam normam boni & mali, juſti & injuſti ſtatuat, præter legem ſupremi Domini: ideoque cenſent optimè fore & conſultum iri Reipublicæ, ſi Religio e mundo penitùs eliminaretur, quod perfici nequit, niſi ipſis religioſis ſuperſtitioſisve exſtirpatis, hoc eſt, niſi deleto genere humano. Præterea, ſi ſuperbus, ſi immanis, ſi gloriæ cupidus, ſi avarus, ſi omnis jugi & fræni impatiens ſit Atheus, quod fieri poſſe nemo ſani judicii unquam negabit, tum multò plura mala inde naſcentur in Reipublicæ detrimentum: his enim nequiſſimis corruptelis & illecebris incitari poteſt Atheus non minùs ac ſuperſtitioſus, ad quaslibet cædes & fraudes per-

 petran-

petrandas, ad omnes religioſos odio & armis perſequendos, imò ad arma in ſupremum Magiſtratum capienda, & ad rebellionem & ſeditionem ciendam; ut ſcilicet, Religione exule, & Atheïſmo in ejus locum ſtabilito, ipſi pro lubitu vivere liceat, & ut ipſemet ejusque ſequaces rerum potiti, avaritiâ, ambitione, & voluptatibus fœdis indulgere ſine pudore & licentioſè poſſint. Denique Atheus non eſt immunis, multò minùs alienus ab illa φιλαυτία, quâ qui flagrat, ipſemet unicè curat & quærit rem ſuam propriumque commodum; illo autem ſui amore immodico nihil eſt deterius & Reipublicæ peſtilentius, quæ ex boni publici amore & proſecutione conſervatur & augetur. Nec ullus, ut puto, negare auſit illas omnes Reipublicæ peſtes in Atheum cadere æquè ac in ſuperſtitioſum; & ex iis ortum & incrementum plerumque accipere Atheïſmum, qui inde inflammatus & incitatus, ad nequiora facinora homines proripere valet, non ſecus ac ſuperſtitio; imò iſtæ noxæ in Atheo citiùs reperientur, quàm in ſuperſtitioſo: hic enim metu Numinis, & pœnis aut præmiis tum in præſente, tum in futura vita referendis a vitiis coërceri & corrigi, & ad officium cogi poteſt, dum alter omne officii & virtutis jugum abjecerit. Itaque hactenus non tam pares, quàm diſpares ſunt Atheus & ſuperſtitioſus, quorum prior multò plura & pejora monſtra altero homine religioſo in ſuo ſinu fovet & nutrit in Reipublicæ perniciem.

II. Sed id clariùs patebit, ſi conſiderentur Atheïſmi & ſuperſtitionis dictamina: primò enim Atheus nullum boni & mali moralis diſcrimen agnoſcit, niſi reſpectu habito vel gaudii, vel tædii, quo homines inde afficiuntur, & honeſtatem

tem ex utilitate aut voluptate metitur, prout notat *Adeiſidæmon paragr.* 23. *pag.* 72. Pariter Atheus ſtatuit nihil eſſe juſtum aut injuſtum ex natura ſua, donec ſic conſtitutum & ſancitum ſit lege ſupremi Domini, cui tamen nemo parere tenetur ex conſcientia & jure, ſed tantùm ex pacto & metu pœnæ: nam tertiò Athei volunt naturam benignam homini largitam eſſe belluinum jus faciendi quidquid libuerit, ipſumque natum eſſe omni lege, obſequio, & obligatione ſolutum; nec ipſi quidquam timendum eſſe ab ira Numinis criminum vindice, tum in præſente, tum in futura vita. Hæc ſunt primaria Atheorum placita, quæ vel in eorum principiis expreſſè continentur, vel inde neceſſariò colliguntur, quia Deum, animæ incorpoream naturam & immortalitatem, pœnasque & præmia poſt mortem negant; quibus fundamentis nititur omnis religio & moralitas; nec diffitetur *Adeiſidæmon* loco mox memorato. Superſtitioſus verò ab Athei dogmatibus longè diſſidet: ſentit enim dari æquum & iniquum naturâ ſuâ, eo quòd credat Deum eſſe, qui boni & mali moralis notionem & normam hominum animis inſcripſit, quique eos vel puniet, vel remunerabitur, prout hoc aut illud fecerint; idemque colligit ex conſenſu populorum, qui circa turpe & honeſtum eſſentialiter diverſa nunquam ſanciverunt. Nemo autem non videt, hæc Atheïsmi præcepta, quæ ſuperſtitio repudiat, maximè exitioſa eſſe Reipublicæ, & tum in ſubditos, tum in Reges, vel in privatos homines, vel in eos qui cum imperio ſunt, ex quibus duobus conſtituitur Reſpublica, immenſa damna inde fluere: primò enim humanitatem & beneficentiam, præter eam ſolam, quæ in utilitate fundatur, tollit Atheus; ità ut

juxta ejus ſententiam nemo teneatur aliis opem ferre & benefacere, niſi ex re ſua ſit; nec quidquam mali ille patraturus ſit, qui parentes egenos deſerat, qui famelicis nil porrigat, quique conterraneos, concives, vicinos, conſanguineos negligat & derelinquat, cùm ejus ope maximè indigent & penuriâ premuntur, ſi nil lucri & utilitatis ex ſua bonitate & munificentia ad ſe rediturum viderit. Unde liquet illud hominum genus naturam humanam fœdiſſimè deturpare, illamque abjectiſſimam φιλαυτίαν introducere, quæ quemque docet & incitat ad proprium commodum unicè quærendum, dum publicum nequidem flocci faciendum ſit; quæque civem a cive diſſociat, juxta *Platonis* effatum, τὸ κοινὸν συνδεῖ, ἴδιον δὲ διασπᾷ: certum eſt enim Rempublicam magna ex parte conſervari & augeri, dum officia humanitatis & beneficentiæ religioſè ſervantur; urbesque, civitates, & regna originem & incrementa plerumque debere illi liberali, nobili, & munifico animo, qui honeſtum utili anteponit, & bonum privatum publico ſubſervire vult. Ex contraria verò præceptione & indole odiorum, ſimultatum, diſſidiorum, imò latrociniorum cædiumque ſemina inter cives ſpargi & foveri, dum nihil humani & generoſi, imò nihil niſi barbarum & immane in ſe invicem ſentiunt homines; nec diu ſtare poteſt hominum ſocietas, ſi quisque rei ſuæ intentus publicæ curam prorſùs abjecerit: multò magis, quando damnum infertur concivibus, ut inde quis quæſtum faciat. Sed adhuc ad turpiora cogit Atheïsmus, qui ad omnes malas artes patrandas homines incitat: qui enim nullum bonum niſi utile & jucundum admittit, & qui quidquam ex natura ſua æquum aut iniquum, turpe aut honeſtum

ſtum eſſe negat, ipſimet pleno jure licet fidem frangere, fraudibus, perfidiâ, perjuriis, homicidiis ſeſe inquinare, hoc eſt, injuſtiſſima & inhumaniſſima quævis perpetrare ſine injuria poteſt, dummodo voluptatem & utilitatem inde percipiat. *Nam* (ut *Cicero de Offic. lib.* 1. *paragr.* 5. habet) *qui ſummum bonum ſic inſtituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque ſuis commodis, non honeſtate metitur: hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, ſit, ut neque amicitiam colere poſſit, nec juſtitiam, nec liberalitatem.* Ibidemque *paragr.* 6. ſubjungit: *Neque ulla officii præcepta firma, ſtabilia, conjuncta naturæ tradi poſſunt, niſi aut ab iis, qui ſolam, aut ab iis, qui maximè honeſtatem propter ſe dicant expetendam*: aitque *hanc eſſe propriam præceptionem Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum.* Quo in loco genus Atheorum a religioſis & ſuperſtitioſis diſtinguitur: novimus enim res privatas & publicas, ut pacta, conventa, mercaturam, & ferè omnia quæ inter homines tranſiguntur, in fide & honeſtate fundari, quibus ſublatis, tollitur commercium mutuaque fiducia e medio civium; unde ſequetur irreparabile damnum ſocietati hominum, quæ fovetur & augetur, dum inter cives benè convenit, dumque homines ſibi invicem fidunt & inter ſe tranſigunt. Atheus verò nemini fidit, nec ullus ipſi fidere & cum ipſo tranſigere audet: ſibi enim arrogat jus & licentiam fraudandi, furandi, pejerandi, occidendi commoditatis aut voluptatis cauſâ. Præterea, ſi natura homines liberos aut licentioſos fecerit, ſi ipſis largita fuerit poteſtatem aut rectiùs licentiam omnia faciendi pro lubitu ſuo, nec ullis legum, officii, & conſcientiæ vinculis obſtricti

naſcantur mortales, inde ſequetur cuivis licere occidere, quando id cupit; itaque amicos prodendi, vicinos perjurio opprimendi, parricidia patrandi jus habet Atheus, quia ſtatuit nihil a natura ſibi eſſe prohibitum, ſed quævis patrandi libertatem ſibi concedi; præſertim, quando voluptates, aut honores, aut facultates juxta deſideria ſua conſequitur, aut ſe conſecuturum cupit & ſperat. Denique quàm multos divini ſupplicii metus a ſcelere revocarit? inquit *Cicero de Legib. lib.* II. Sed Numinis metum prorſùs abjecit, aliosque ad illud jugum excutiendum adhortatur Atheus, ut ſcilicet ad fraudes, injuſtitiam, & ad omnia ſcelera imperterriti ruant homines, dummodo a ſupplicio humano & a pœnis temporalibus ſibi caveant.

CAP. XXVIII.

In quo probatur, Atheïsmum ſupremæ poteſtati adverſari.

I. Nec ſupremæ poteſtati minùs nocet Atheïsmus, quidquid ejus ſequaces e contrario obtendant: Atheus enim nullam aliam ſui officii legem admittit, præter ſuam voluntatem, aut cupidinem gloriæ & utilitatis, in quibus ſummum bonum conſtituit, aut jus ad omnia, quod a natura accepit. Si autem hic homo unquam cupiat, ſi ex re ſua unquam videatur, in Regem aut ſupremum ſuum Dominum rebellare, ſeditiones ciere, imò eum gladio aut veneno conficere, ipſi per ſua præcepta licet: nam reponere non auſit, rebellionem & ſeditionem eſſe injuſtam, cùm nihil ex natura ſua injuſtum eſſe ipſemet

met contendat. Nec inde ſe extricabit, ſi dicere velit, injuſtum eſſe pactis & conventis, quibus auctoritas regendi & jubendi ſupremæ poteſtati conceſſa eſt, non ſtare: pacta enim & conventa ſunt mera verba, vox & præterea nihil, niſi detur juſtitia naturalis, quâ quis ad obſequium ſupremo Rectori præſtandum obligatur. Multò minùs Atheos decet ad legem naturæ confugere, quâ quis tenetur pactis & promiſſis ſtare: ſibi enim ipſimet non conſentiunt, qui omnem legem naturalem reſpuunt, nec quidquam ex natura ſua juſtum aut injuſtum eſſe ſtatuunt. Ubi animadvertere licet, hos ſolertiſſimos Politicos in abſurdum circulum circuire: vim enim obligandi legum humanarum a pactis, pacta verò a legibus naturalibus derivant. Deinde vim obligandi pactorum & legum naturalium ad voluntatem & imperium ſummi Domini referunt, ſine quibus illa pacta & leges naturæ nullomodo obſtringere poſſunt. Præterea, qui ex mera ſua voluntate ad ſupremo Rectori parendum ſeſe obſtrinxit, eâdem voluntate ſe ab obſequio liberare jure poterit, cùm mera voluntas meraque verba neutiquam obligent, niſi detur juſti & injuſti lex naturalis, quæ nititur ſupremâ auctoritate & voluntate Numinis, a qua maximè derivatur & pendet legum humanarum & ſupremorum Rectorum auctoritas, & a qua conſtitutum eſt τὸ ἀρχεῖν & ἄρχεσθαι; hoc eſt, poteſtas jubendi in ſummo Magiſtratu, obligatio verò ſubditorum ad parendum ſancita eſt. Nec a nobis diſſentit *Cicero de Legib. lib.* 1. *paragr.* 28. quo in loco ait: *Nihil eſt profectò præſtabilius, quàm planè intelligi nos ad juſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed naturâ conſtitutum eſſe jus.* Et *lib.* 11. *paragr.* 10. probat, *unam eſſe mentem divinam,*

in

in qua fuit ab æterno lex vera atque princeps, apta ad jubendum & ad vetandum, norma recti & iniqui, eamque vocat *rectam rationem ſummi Jovis.* Nec pendet illa nôrma a ſcitis populorum & a decretis Regum: *nam* (addit idem *ibid.*) *quod rectum eſt, verum quoque eſt, neque cum litteris, quibus ſcita ſcribuntur, aut oritur, aut occidit.* Ut inde liqueat jus jubendi & vetandi, quod competit ſummo Magiſtratui, a mero hominum arbitrio nullomodo fluere, nec obligationem ſubditorum ad parendum a mera voluntate ſupremi Domini pendere, ſed utrumque fundari in lege naturali: qui enim nullâ obligatione tenetur, quemadmodum hominem natum & conſtitutum eſſe volunt Athei, eum ad obſequium obligare non poteſt imperium alterius, niſi juſtum ſit ſummi Magiſtratus jus imperandi aut vetandi, ſubditi verò ad obſequium teneantur. Aliàs homines cuivis imperium affectanti & invadenti obedire tenerentur, dummodo vim cogendi habeat; & hoc eſt quod volunt Athei: iſti enim peſſimi Politici ex ſuis locis munitis pulſi, tandem coguntur confugere ad jus gladii, & ad metum pœnæ, *quæ obligat*, aut, ut æquivocè loqui amant, *obligatum tenet*; ita ut ſubditi parere cogantur metu ſupplicii. Inde autem ſequitur, neminem debere pro patria mori, nec ſuam vitam in diſcrimen adducere in defenſionem legum & ſupremi ſui Domini. Ergo, ſi quis impunè rebellare poſſit, ipſo facto ſolvitur ab obſequio. Ergo auctoritas ſummi Magiſtratus fundatur tantùm in metu, & ejus jus eſt mera vis, quæ ſuperiore vi vinci & deſtrui poteſt; & ſi rebellio fœliciter ſuccedat, ipſo facto juſta eſt. Ergo lex potentioris eſt lex ſumma, & quidquid vi conquiri & confici poteſt, id juſtum & rectum

rectum eſſe debet: nam ſecundum Atheos vis & auctoritas legum, & obligatio ipſis parendi fluit tantùm ab imperio & arbitrio potentioris, cui alii parere coguntur, quia ipſi reſiſtere non poſſunt. Concludamus igitur, ordinem imperii & obſequii ab ipſa natura conſtitutum eſſe, quâ duce homines norunt ſe obſtringi ad parendum legibus, ideoque ſummo Magiſtratui, qui eas tuetur, nec Rempublicam ſtare poſſe ſine ordine, ita ut ab ipſa experientia magiſtra doceamur, ex una regiminis forma diſſoluta ſtatim naſci aliam: ſi enim omnes imperare vellent quod per Atheos cuivis licet, tum Reſpublica eſſet Anarchia, unde neceſſariò flueret omnis confuſio & perturbatio, ut & certò certiùs periret hominum ſocietas. Natura autem homines ea erudivit, conſervationem ſcilicet Reipublicæ, fugamque Anarchiæ, confuſionis, & perturbationis, quæ mala vitari poſſunt adjuvantibus imperio & legibus, rem per ſe juſtam & rectam eſſe, & propter ſe expetendam. Athei verò contendunt, ſolum bonum jucundum & utile propter ſe amandum eſſe, juſtum verò tantùm per accidens: nam juxta hos ſapientiſſimos Politicos lex & ſuprema poteſtas eſt malum in ſe, licèt alteri malo occurrat, hominum ſcilicet imbecillitati: quia enim quiſque jus ad omnia, quod a natura accepit, proferre & ſtabilire, aut cæteros homines vincere & ſibi ſubjicere non poterat, imò ipſis reſiſtendo aliquando impar erat; idcirco ſedato bello illo & conflictu æterno, qui in ipſa natura fundatur & ex belluino jure omnia agendi pro lubitu, quo ſinguli gaudent, naſcitur, tandem homines conſenſerunt de ſuo jure belluino cedendo & in alium transferendo, cujus poteſtas eſt etiam infinita, licèt non ſit juſta;

ita ut ſecundum Atheos ordo & imperium ſummi Magiſtratus ſit ſpurius & abjectiſſimus metus & imbecillitatis fœtus, malumque neceſſarium inde ortum, quia ſinguli non valebant ad alios ſubjugandos & occidendos, licèt ad id jus haberent; & quia aliis, qui idem jus eos ſubjiciendi & occidendi habebant, obſiſtere non poterant.

CAP. XXIX.

In quo probatur, Atheum privatis hominibus inſidiari.

I. Nec minùs inde liquet Atheum peſſimum eſſe & fore civem, niſi bonitate naturæ vincatur: ſi enim ſibi ipſe conſentiat, non poteſt non eſſe injuſtus, perfidus, perduellis, parricida, quando id cupit, quando quid ſuâ intereſſe videbitur, & ſpes fœlicis exitus & impunitatis ipſi affulgebit. Pariter a talibus magiſtris imbuuntur alii homines pernicioſis dogmatibus, ut ex. gr. nihil eſſe injuſtum in ſe; omnia ipſis licere; ſummum bonum & propter ſe expetendum ſitum eſſe in ſola voluptate aut utilitate; ſummo Magiſtratui parendum eſſe, non propter conſcientiam, ſed tantùm propter iram, contra præceptum Apoſtoli ad *Roman. cap.* XIII: 5. non ex officio, ſed ex metu; non ex amore virtutis, ſed ex formidine pœnæ; non ex juſtitia, ſed ex neceſſitate; non ex metu ſupplicii divini, ſed ex metu gladii Principum. Quæ & ſimilia præcepta quàm exitioſa ſint Reipublicæ, judicent Lectores! Itaque miror, cur *Adeiſidæmon paragr.* 23. *pag.* 71. affirmare auſit, *Atheum civili promiſſorum reverentiâ cohiberi*; omnis enim promiſſo-

miſſorum reverentia ſita eſt in obligatione ad ea præſtanda, fluitque a conſcientia & metu Numinis juſtiſſimi & potentiſſimi, ut & a norma turpis & honeſti, juſti & injuſti; quæ & ſimilia negat & pernegat Atheus. Nec ille revereri poteſt pacta & promiſſa, qui ea nullomodo obligare cenſet, cuique ea frangere licet, dummodo poſſit, cupiat, aut proſit; niſi *J. Tolandus* intelligat illam reverentiam, quæ rectiùs diceretur formido pœnæ, aut damni, aut infamiæ publicæ. Multò magis miror illam æquivocam & ſpecioſam diſtinctionem, quam adhibet *Adeiſidæmon paragr.* mox memorato, ubi hæc habet: *Atheus virtutum & vitiorum, turpis & honeſti diſcrepantiam lubens agnoſcit, laudiſque internæ & vituperii ſemper ſibi conſcius eſt, ob ea quæ rectè vel ſecus fecerit: quamvis nil abſolutè & per ſe bonum aut malum fateatur, ſed reſpectu tantùm habito ad bonos aut malos uſus, quibus res quæque inſervit: vel in quantum tædet aut delectat.* Si enim nil ſit per ſe bonum aut malum, tùm percipere non poſſum, unde oriatur illa diſcrepantia virtutis & vitii, turpis & honeſti, quæ neceſſariò fundatur in bono & malo morali, quod per ſe bonum aut malum eſt, & propter ſe expetendum aut fugiendum. Ex. gr. amare proximum ipſique benefacere, itemque fidem, juſtitiam, amicitiam, & liberalitatem colere eſt & ſemper erit per ſe bonum & propter ſe expetendum. Econtrà proximum odio perſequi, eique invidere & malefacere, ejusque vitæ, aut bonis, aut famæ inſidiari, fuit ſemper per ſe & abſolutè malum & propter ſe fugiendum, ſive illa homines tædio afficiant, ſive delectent. Ideoque ſibi non conſentit Atheus, quando agnoſcit diſcrimen turpis & honeſti; nec alicujus rei

agnitio

agnitio illius rei naturam mutat : noſtra enim notio & agnitio non eſt veritatis productio, ſed tantùm perceptio. Præterea, ſi nullum aliud ſit bonum præter utile, aut delectabile; ſi nihil ſit juſtum aut injuſtum per ſe, ſed tantùm per accidens; ſi nihil ſit morale in rerum natura; ſi Deus non ſit, nec hominum animi poſt mortem ſuperſint, ut vult Atheus; profectò miror, unde ille conſcius eſſe poſſit laudis aut vituperii, vel quomodo aliquid rectè aut ſecùs fecerit, qui omnem recti aut obliqui, æqui aut iniqui normam tollit, quæ ſita eſt in bono aut malo morali, in juſtitia aut injuſtitia naturali. Denique non ſatis intelligo quid ſibi vult *Adeiſidæmon* loco mox laudato, in quo inducit Atheum petentem diſcrepantiam virtutum & vitiorum *ab ipſa rerum eſſentia*: ſi enim diſcrimen turpis & honeſti fundatur in ipſa rerum eſſentia, tum inde ſequetur, aliquid eſſe per ſe & eſſentialiter turpe aut honeſtum, vel quod eodem redit, res eſſe aliquas eſſentialiter turpes aut honeſtas, & conſequenter per ſe & abſolutè bonas aut malas, quomodocumque ab iis afficiantur homines: conſequentiam tamen explodit Atheus, quando negat quidquam per ſe & abſolutè bonum aut malum eſſe; ubi videre eſt, quàm malè ſibi conſentiat Religionis hoſtis.

II. Iterum falſò aſſerit *Adeiſidæmon paragr.* mox memorato, *Atheum nonnullis neceſſariò impelli ſtimulis in aliorum perniciem.* Fateor eum non neceſſariò, hoc eſt, invitum & coactum, ſed lubentem & volentem incitari in aliorum perniciem; nec neceſſariò, vel fataliter, aut ex dura & invicta neceſſitate ad id impelli, quaſi non poſſet non meditari aliorum exitium; poteſt enim, ſi velit, eorum commodum curare,

ipſisque

ipſisque benè velle & benefacere; quod nom impedit, quominus ex ſuis principiis & dogmatibus neceſſariò incitetur in perniciem aliorum hominum, ſi non ſtimulis indolis, quæ benè comparata eſſe ſupponitur ab *Adeiſidæmone*, ſaltem ſtimulis gloriæ, ſtimulis deſideriorum & cupidinum: ſi enim cupiat occidere, aut fraudare, aut rebellare, ipſemet jus habet: vel ſi fraudes, cædes, perduellio, inhumanitas ſibi proſint, aut fœliciter ſuccedant, aut voluptatem & imperium afferant, ſibi licet hæc ſcelera perpetrare, quæ Reipublicæ peſtilentiſſima ſunt. Nec ars aut natura ex hominum animis exſerere valet illos ſtimulos omnibus mortalibus innatos, quibus incitari & indulgere permittitur, imò jubetur Atheus, ita ut, ſi ſibi conſtet, non poſſit non ſtimulari in aliorum civium perniciem, & a magiſtris ſuisque placitis tanquam a validiſſimis incitamentis impelli & perſuaderi, ut ſit malus vicinus, perfidus amicus, immoriger filius, malè fidus mercator, invitus ſubditus, quando ex re ſua eſſe videbitur. Nec inde ſe extricat *Adeiſidæmon*, quando ibidem ſubjungit, *Atheum, non quod alii credant, ſed quod faciant, ſolummodò curare:* nec enim quod credant, multò minùs quod faciant, curare debet Atheus, dummodo ipſum non lædant; nec ſuæ voluptati aut utilitati, in quibus ſitum eſt ſuum ſummum bonum, officiant: nam Atheus alios homines docet & imbuit, ex natura ipſis licere omnia facere pro lubitu ſuo; efficitque, aut efficere ſtudet, ut, ſi alii cives ex metu pœnæ, carceris, aut rotæ mali & injuſti eſſe non audeant, ſaltem ſemper ſint *ἄκοντες δίκαιοι*, *inviti juſti & boni*; ideoque quidquid faciant, quidquid noceant, quidquid men-

 tian-

tiantur, pejerent, defraudent, id non debet curare, multò minùs queri Atheus, cùm juxta ejus ſententiam tali caſu homines ſequerentur naturam ducem & benignam, ut & magiſterio Atheorum parerent. Deinde, licèt Atheus propriè non ob variantia conſcientiæ dictamina alios perſequatur, quia ipſemet nullam conſcientiam, nullam religionem, nullamque honeſtatem habet; tamen ob alias & multò plures pejoreſque cauſas alios homines perſequi & perdere velit, dummodo ſecurus a pœna & infamia eſſe poſſit; ut ſi imperium affectet, ſi voluptatibus & divitiis diffluere cupiat, & ſi armis, odio, & perſecutione viam ſibi ſternere ſperet ad ſua vota conſequenda. Nam *paragr.* 24. *pag.* 18. *Adeiſidæmon* fatetur, *Atheum, ne ſuſpectus evadat, ſtabilitæ Religioni omnes alios per fas & nefas conformes velle.* Quòd ſi ſint qui nolint eſſe conformes, eos ad id cogi vult Atheus, ideoque vi armorum, ſuppliciis, & perſecutione utendum eſſe in illos cives diſſentientes cenſet: unde liquet Atheum a politica & turpi aſſentatione ſtimulari & incitari poſſe & velle in perniciem aliorum hominum, ideoque in Reipublicæ ingens detrimentum. Perperam autem argumentatur *Adeiſidæmon paragr.* 23. *pag.* 72. ubi hæc ſubjungit: *Quominus nullam mercedem aut pœnam poſt mortem expectat futuram Atheus, eò magis ſtudere tenetur præſentis vitæ (& unicæ ſecundum illum) fœlicitati*; ideoque aliis non nociturus, *ſine quorum adjumento & opera eam conſequi poſſe novit.* Nam primò mercedem aut pœnam illam æternam explodit Atheus, ut, omni futuræ vitæ curâ & metu abjectis, in malam fidem, injuſtitiam, fraudes, & in alia hujus generis ſcele-

ra Reipublicæ exitioſa impavidus ruat, dummodo ſupplicium humanum caveat. Nam ſecundò ſi illa fœlicitas, cui ſoli ſtudet Atheus, ſæpiùs obtineri non poſſit niſi per artes injuſtas & illicitas, poſterius proculdubiò eliget Atheus: mallet enim eſſe injuſtus, quàm infœlix, & vitâ privari, quàm vitæ fœlicitate, hoc eſt, voluptate, facultatibus, aut imperio, in quibus ſummum ſuum bonum ponit Atheus.

Cap. XXX.

In quo ſuperſtitioſus cum Atheo comparatur, & concluditur Atheïsmum multò magis nocere Reipublicæ, quàm ſuperſtitionem.

I. Ex his autem iterum colligimus, Atheum eſſe non poſſe bonum civem & bonum ſubditum, niſi vi & metu coactum. Aliter verò cenſendum eſt de religioſo, imò de ſuperſtitioſo: uterque enim rejicit dogmata Atheorum, quæ quàm damnoſa ſint Reipublicæ, mox oſtendimus. Nec ſuperſtitio, multò minùs Religio per ſe approbat cædes, injuſtitiam, fraudes, perſecutionem, cùm admittat Deum eſſe, pœnam aut mercedem poſt mortem futuram, diſcrimenque boni & mali moralis, turpis & honeſti, quibus præceptis prædicta ſcelera vetantur. Si autem in pravis religionibus aliquando homines docentur ſcelera & cædes patrare in alios, indeque incitati ad illa ſcelera patranda proruunt ſuperſtitioſi; hæc ſceleroſa præcepta &

facta non tam imputanda ſunt ſuperſtitioni, multò minùs Religioni, quàm avaritiæ, ambitioni, fœdis voluptatibus, & Atheïſmo illorum impiorum Magiſtrorum & improborum Politicorum, qui ſub ſpecie Religionis imperium affectant & quæſtum faciunt. Itaque pares ſunt aut eſſe poſſunt Atheus & ſuperſtitioſus uno & altero reſpectu: ambo enim illa ſcelera Reipublicæ perniciosa admittere poſſunt, & ſæpiùs admittunt; uterque poteſt eſſe perfidus, parricida, perduellis, perſecutor, falſarius, ſicque maximum Reipublicæ afferre detrimentum. Superſtitioſus a ſuis nefariis Magiſtris incitari & impelli poteſt ad injuſtitiam, cædes, & fraudes perpetrandas Religionis ergo, æquè ac Atheus. Sed pluribus & majoribus numeris diſpares ſunt Atheus & ſuperſtitioſus. Atheus permittitur, imò jubetur quævis injuſtiſſima patrare utilitatis aut voluptatis ſuæ proſequendæ cauſâ; ſuperſtitioſus verò minimè. Atheus, ſi ſibi conſentiat, non poteſt eſſe bonus civis, aut ſi ſit, invitus ſemper erit: nam ex ſuis dogmatibus neceſſariò fluunt omnis injuſtitia & malæ artes. Superſtitioſus verò aliquando poteſt eſſe bonus ſubditus & civis, licèt remaneat ſuperſtitioſus: poteſt enim reprobare illa injuſta ſuorum Magiſtrorum præcepta, quæ cum primis luminis naturalis notionibus pugnant, cujusmodi hæc ſunt, fides non eſt ſervanda hæreticis; cuique licet occidere, fraudare, perſequi alios a ſua religione diſſentientes; & ſimilia ſceleroſa dogmata. Atheus eſt malus civis & Reipublicæ noxius, datâ operâ, conſultò, lubens & volens; ſuperſtitioſus verò, licèt ineptus, ſæpiùs eſt innocuus: nam mala, quæ infert Reipublicæ, plerumque oriuntur

tur ex craſſa ignoratione & cæco zelo. Superſtitioſus validioribus vinculis ad officia erga alios homines præſtanda obſtringitur quàm Atheus, qui cohibetur ſolo metu pœnæ temporalis, aut ſpe præſentis utilitatis. Superſtitioſus verò, multò magis verè religioſus ad juſtitiam ſequendam & injuſtitiam fugiendam ſtimulatur & impellitur a conſcientiæ dictamine, a legis divinæ reverentia, a metu ſupplicii æterni & ineluctabilis, ut & ſpe mercedis ſempiternæ. Quò magis autem terribilis eſt pœna, quam metuit, & quò præſtantior eſt merces, quam expectat ſuperſtitioſus, eò magis accendi debet ad ſcelus fugiendum & ad virtutem ſequendam. Si autem nulla unquam audita ſunt Atheorum bella in religioſos & ſuperſtitioſos, prout ſæpiùs foventur & geruntur odia & diſſidia inter Chriſtianos, imò inter Orthodoxos; ſi Athei ſeditiones, cædes, & perſecutionem nunquam concitarint ad Religionem exſtirpandam; ſi in cives aut Magiſtratus nunquam inſurrexerint puri puti Atheïſmi promovendi cauſâ; id non ideo evenit, quia Atheus ab injuſtitia & facinoribus abhorret: aliter enim eum ſenſiſſe ſuperiùs oſtendimus. Sed horum hominum boni & juſti mores erga alios tribui debent Atheorum paucitati & imbecillitati: norunt enim ſe certò certiùs perituros, vel ſaltem nil profecturos, ſi Religionem aperto Marte adoriri & ſuum Atheïſmum ſtabilire vellent, cùm generi humano bellum indicerent. Sed quid pluribus verbis opus eſt? Ipſe enim *Adeiſidæmon paragr.* 24. *pag.* 77. ingenuè fatetur *quaſdam eſſe ſuperſtitiones in ſocietate civili tolerabiles; ſe verò ullis tolerari conditionibus Atheos neutiquam ſperare debere, quum nullo conſcientiæ vinculo (ſeu formi-*

dine pœnæ, *ſeu mercedis amore*) *ſint ad opinionis profeſſionem obſtricti*. Et in *Epiſtola Dedicatoria* ſub finem ſine ambage dicit: *Superſtitionem quandoque*, *Atheïſmum verò nunquam tolerari ſe velle*. Qui autem aſſerit ſuperſtitionem Reipublicæ eſſe magis noxiam quàm purum putum Atheïſmum, hanc tamen quandoque, hunc verò nunquam tolerari vult; ipſe non ſimpliciter paradoxum, ut loco *Epiſtolæ Dedicatoriæ* mox memorato contendit *J. Tolandus*, ſed prorſùs repugnantia profert. Nec eæ rationes in ipſa Diſſertatione allatæ, ad quas provocat *Adeiſidæmon*, unquam tollent repugnantiam, multò minùs ſatisfacturæ ſunt veræ Religionis cultoribus, prout Epiſtolam claudit *Adeiſidæmon*; niſi ſuam Religionem intelligat, quod Lectoribus judicandum relinquo. Imò ipſi Athei fateri debent, tantum abeſſe, ut ſuperſtitio Reipublicæ noxia ſit, quòd potiùs ei proficua eſt, qui volunt religionem vel ſuperſtitionem (hæc enim duo in eorum ſchola ſynonyma ſunt) eſſe pulchrum Politicorum commentum in ſubſidium Magiſtratuum ſubtiliter excogitatum. Sed, ut tandem huic Diſputationi finis imponatur, illos homines & imprimis *J. Tolandum* remitto ad *Ciceronem*, cujus locus inſignis & huic cauſæ apprimè conveniens exſtat *de Legib. lib.* 1.*paragr.* 37. non enim dubitat ſua principia de diſcrimine boni & mali, æqui iniquique, ut & de origine juris, quod fundatum eſſe in natura & a Diis promanaſſe vult, *probari iis*, *qui omnia recta atque honeſta per ſe expetenda duxerunt*, *& aut nihil omninò in bonis numerandum*, *niſi quod per ſeipſum laudabile eſſet*, *aut certè nullum habendum magnum bonum*, *niſi quod verè laudari ſuâ ſponte poſſet*;

hæcque

hæcque admitti ferè ab omnibus Philoſophis, iiſque optimis, qui eodem loco recenſentur. Deinde *paragr.* 39. ſubjungit: *Sibi autem indulgentes, & corpori deſervientes, atque omnia, quæ ſequantur in vita, quæque fugiant, voluptatibus & doloribus ponderantes, etiam ſi vera dicunt, (nihil enim opus eſt hoc loco litibus) in hortulis ſuis jubeamus dicere, atque etiam ab omni ſocietate Reipublicæ, cujus partem nec norunt ullam nec unquam noſſe voluerunt, paulisper faceſſant, rogemus.*

DEFENSIO MOSIS ET GENTIS JUDAÏCÆ.

Cap. I.

Ubi hujus Defenſionis argumentum breviter attingitur, & Huetius *defenditur.*

I. Superiore Diſputatione Religionem naturalem pro viribus noſtris defendimus: hâc verò Religionem revelatam, nominatim Moſaïcam, defendemus. Priore noſtræ Defenſionis parte Dei ter Opt. Max. naturam, exiſtentiam, providentiamque probare conati ſumus: hâc autem poſteriore parte ſui ſervi & olim populi, *Moſis* ſcilicet & Judæorum, cauſam propugnare ſtudebo contra injuſtam cenſuram *J. Tolandi*, qui in ſuis *Originibus Judaïcis* multa falſa & probroſa in eos evomit. Sed, antequam de Hebræorum gente & legiſlatore loquar, in defenſionem *Huetii*,

tii, quem eorum cauſâ in eadem Diſſertatione carpit & convitiatur *J. Tolandus*, nonnulla breviter præmittemus. Omnes norunt celeberrimum virum *Petrum Danielem Huetium* Epiſcopum *Abrincenſem*, (Gallicè d'*Avranches*, urbis Normanniæ inferioris in ora maritima) ſuperiore ſæculo librum, qui inſcribitur *Demonſtratio Evangelica*, in lucem edidiſſe. In eo autem Religionis Chriſtianæ veritatem demonſtrare conatur argumento petito a Veteris Teſtamenti prædictionum implemento, quod in Novo Teſtamento actum refertur. Ut ſuam argumentationem dexteriùs & clariùs proſequatur, inter alia probat γνησιότητα librorum Veteris Teſtamenti, nominatim *Pentateuchi*, in quo continentur nonnullæ de *Chriſto* prophetiæ, & eum in finem, tum ſacrorum, tum exoticorum, Scriptorum teſtimonia adhibet. Sed huic meritiſſimo Theologo ſuccenſet *Joh. Tolandus*, eo quòd tale opus ſuſceperit, indeque unum aut alterum locum exagitandi, ut & ipſum *Huetium* & ipſam *Demonſtrationem* exprobrandi & exſibilandi occaſionem arripit. Tria aut quatuor maximè probroſa in *Huetii Demonſtrationem Evangelicam*, nominatim in illam partem, quæ *Moſis* libros ſpectat, excipit noſter Cenſor. 1. *Abſurditatem* aut *futilitatem*. 2. *Inutilitatem*. 3. *Falſitatem* & *mendacia*. 4. *Impietatem*.

II. Primò *Huetii Demonſtratio Evangelica* inutilitatis arguitur a *J. Tolando*: ait enim *paragr.* 2. *pag.* 106. *Religionem Chriſtianam tali non egere Demonſtratore*. Fateor Religionem Chriſtianam nullo indigere Demonſtratore, cùm ita perſpicua & evidens ſit, ut cuivis non pervicaci ſeſe demonſtret ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ut Apoſtolus 1. ad *Cor.* II: 4. habet. Sed ſunt, qui

huic veritati reſiſtunt, & huic luci admittendæ oculos aperire nolunt: nam, ut idem Apoſtolus ait 2. *Cor.* IV: 3. 4. *Si tectum eſt noſtrum Evangelium, tectum eſt pereuntibus, quorum mentes excæcavit hujus ſæculi Deus, ne colluſtret eos claritas glorioſi Chriſti Evangelii*, quique illam lucem cœleſtem exſtinguere & opprimere totis viribus conantur, quia eorum præjudicia & mala opera detegit & redarguit. Horum autem hominum contradicentium os obturandum eſt, eorumque temeritas & contumacia retundenda eſt: quem in finem demonſtrari debet Religio Chriſtiana, & ex ipſius fontibus elicienda ſunt argumenta ἀποδεικτικὰ, quibus ſcilicet confutentur increduli & impii homines, aut ad veritatem agnoſcendam convertantur, & ut credentium fides ſtabiliatur. Id verò fœlici ſucceſſu egit doctiſſimus *Huetius* in ſua *Demonſtratione Evangelica*, in quo opere ſe præbuit utiliſſimum & peritiſſimum Demonſtratorem, qualem res tanti momenti poſtulat. Et hoc eſt quod pungit *J. Tolandum*: ægrè enim fert ipſum nomen *Demonſtrationis Evangelii*, quod pro fabula habet. Ipſemet de genere humano ſe meliùs meriturum exiſtimavit, ſi Religionem impugnaret, & a Republica majorem laudem ſe reportaturum, ſi diceret, purum putum Atheïſmum ei minùs exitioſum eſſe quàm ſuperſtitionem; hæc eſt juxta myſterium iniquitatis Religio. Impugnat, inquam, & dicit: nullibi enim probat, cùm ubique ſe prodat ineptum argutatorem & temerarium cenſorem, qui hoc unum agit, ut carpat, convitietur, exſibilet res ſacras & ſerias. Ideoque talem Demonſtratorem, qualem *Huetium*, explodit, quia in Religione Chriſtiana demonſtranda & in infidelium procacitate voluntariaque

que cæcitate refellenda operam impendit ille de Chriſtianis meritiſſimus vir, licèt argumentorum, quibus talis Demonſtrator utitur, inutilitatem & futilitatem oſtendere non auſus ſit noſter Cenſor. Sed, ut id clariùs pateat, ad alias ſuæ cenſuræ partes pergamus.

III. Secundò enim *Huetii Demonſtrationi Evangelicæ* abſurditatis dicam inſcribit *paragr.* 4. *pag.* 109. ubi ironicè ait: Huetium *nullo negotio demonſtrare univerſam Ethnicorum Theologiam (propter ſimilitudines quaſdam, quæ in omnibus inſtitutis & actionibus humanis neceſſariò agnoſcuntur) a* Moſe *jugiter dimanaſſe*. Putat igitur hunc Theologum venari & captare vagas & frivolas ſimilitudines, quibus ſuam argumentationem de vetuſtate & veritate *Moſis* librorum unicè aut imprimis fulcit. Præterea eodem *paragr. pag.* 110. addit *J. Tolandus*, Huëtium *argumentari contra omnium temporum rationem*; & *pag.* 112. *nullâ habitâ temporum aut locorum ratione, quemlibet ex quolibet effingere, quia uni eidemque perſonæ fabulari diverſæ inſint ſignificationes.* Sed hæc gratis aſſeruntur. 1. Enim quaslibet ſimilitudines non ſectatur *Huetius*, ſed eas expromit, quæ maximè obviæ ſunt, quæque vel ex homonymiâ nominum, vel ex affinitate linguarum, vel ex apparente conformitate actionum, inſtitutorum, inſignium eliciuntur. Præterea a fama *Moſis*, ab ejus ſcriptorum antiquitate, a commercio aliarum gentium cum Judæis in ipſis primitivis temporibus, ab his & ſimilibus locis arguit Demonſtrator Evangelicus. His adde Veterum teſtimonia, quibus ſimilitudinum, quas eruit, veritatem firmare ſolet. Unum aut alterum exemplum adducam. Primò conſtat ex ſacris & exoticis Scriptoribus *Moſem fuiſſe eruditum*

tum in omni ſapientia Ægyptiorum, virumque potentem dictis & factis, ut habetur *Actor.* VII:22. & a *Joſepho* frequenter laudatur ut expertiſſimus Imperator, & conſultiſſimus Conſiliarius, ita ut illius præclari Nomothetæ famam & notitiam per Orientem, indeque per totum ferè orbem terrarum diffuſam eſſe, non ſit dubitandum. Itaque *Huetius Propoſ.* IV. *cap.* IV. *paragr.* 10. *Cyrilli lib.*I.& II. contra *Julianum*, *Juſtini Paræn. Joſephi* contra *Appion.* & *Antiquit. Judaic. Georgii Syncelli Artapani* apud *Euſebium Præpar. Evangel. lib.* IX. aliorumque Scriptorum teſtimoniis probat, *Moſem* in ſumma æſtimatione habitum & divinis honoribus affectum fuiſſe ab Ægyptiis. Deinde monſtrat illa nomina, ſub quibus Hebræorum Legiſlator & Imperator in Ægypto cultus eſt, vel eſſe originis Hebraïcæ, vel quæ illis numinibus tribuuntur, ea *Moſis* facta, aut dicta, aut inſignia maximè referre, ut *Apis*, *Serapis*, *Oſiris*, *Mnevis*, *Thoyth*, & alia hujusmodi nomina, quæ vel Hebraïsmum ſapiunt, vel ea, quæ Ægyptiorum hiſtoria fabularis ſuis Diis tribuit, *Moſis* parentes, pericula, fugam, miracula, virgam, leges, præclarè facta ad vivum exprimunt, prout cuique *Demonſtr. Evangel. Propoſ.* IV. *cap.* IV. legenti illicò patebit. Præterea quæ de Ægyptiis *cap.* IV. demonſtrat *Huetius*, ea *cap.* III. de Phœnicibus aſſerit, quibus a primis temporibus *Moſem* ejusque gentem & ſcripta innotuiſſe neceſſum eſt, cùm Patriarchæ diu in Cananæa commorati ſint, & ab eorum poſteris inde pulſi ſint Cananæi, qui cum Judæis continua bella & commercia geſſerunt, quique ab inferioris ævi Scriptoribus non raro confunduntur. In eodem *cap.* oſtendit teſtimoniis *Porphyrii*, & *Philonis Byblii* apud

apud *Euſeb. Præpar. Evangel. Joſephi Antiquit. Judaïc. lib.* 11. *cap.* v. aliorumque gentem Phœnicum *Moſem* coluiſſe ſub nomine *Taauti*, qui idem eſt ac *Thoyth* Ægyptiorum, vel *Adonidis*, vel aliorum numinum, quæ ab Hebræa lingua nata ſunt, ut *Thoyth* ab *Scaligero* & aliis refertur ad תוית, quæ dictio inter primas *Geneſeos Moſaïcæ* occurrit. *Adonis* ab ארון *Dominus*, & ſic de cæteris appellationibus numinum Cananæorum, quæ æquè ac Ægyptia *Moſi* apprimè conveniunt. Necnon certo certius eſt, ab Ægyptiis & Phœnicibus ad Græcos, a Græcis ad Romanos aliasque gentes Europæas *Moſis* notitiam & religionem dimanaſſe, prout probat *Demonſtrator. Evangelicus Propoſ.* iv. Illa autem argumenta, quæ in hanc cauſam adhibet *Huetius*, certiſſimæ ſunt notæ & normæ, ad quas ſimilitudines inter res aut perſonas loco & tempore diſſitas dignoſci & definiri poſſunt. Si enim ingentem famam apud Ægyptios & Phœnices ſibi comparavit *Moſes*; ſi ejus ſcripta omnium ſcriptorum & commentariorum vetuſtiſſima ſunt; præterea ſi illis populis ſolenne fuit viros de Republica benè meritos, & vel doctrinâ, vel ſapientiâ, vel fortitudine claros, divinis honoribus afficere; ſi deinde nomina & facta ſuorum Deorum & Heroum *Moſis* caſus & doctrinam maximè referant; ſi denique Græcorum, Romanorum, aliorumque populorum religio ab Ægyptiis & Phœnicibus fluxit; quæ & ſimilia nemo, niſi Antiquitatis prorſùs ignarus, negabit; profectò fatendum eſt, nullâ certiore & clariore methodo illas ſimilitudines inter *Moſem* & exterarum gentium numina expromere & indicare potuiſſe *Demonſtratorem Evangelicum.* Eadem veſtigia preſſit *J. G. Voſſius* in ſua *Theologia Gentili*, ut & *Bochartus* in ſuo *Phaleg*, aliique

que eruditiſſimi viri, qui pleraque Gentium numina ex ſacris Litteris ob clara indicia & obvias ſimilitudines fœliciter explicarunt. Pari ratione *Plutarchus* in libello *de Iſide* & *Oſiride* tradit: *Quæcumque Græci narrant de Gigantibus & Titanibus, Apollinis quoque adverſus Pythonem dimicationes, Bacchi peregrinationes, & errores Cereris, nil ab iis differre, quæ apud Ægyptios de Oſiride & Typhone celebrantur*; quia ſcilicet noverat Græcorum ſacra ab Ægypto fluxiſſe, & illius gentis ritus & religionem hujus inſtituta referre deprehenderat. Tandem ab ipſo *J. Tolando* ſcire velim, unde pro certo norit & tam confidenter affirmarit *Adeiſidæm. paragr.* 6. *pag.* 12. *Religionem Romanam potiſſimùm a Græcis mutuatam eſſe*; & *paragr.* 7. *pag.* 14. *omnem quamcumque ſuperſtitionem ex nimio mortuorum cultu*, qui apud Ægyptios obtinebat, *fluxiſſe*? Forſan reponet, ſe id ſcire ex quorumdam Veterum teſtimoniis, idque collegiſſe ex illorum ſacrorum rituum conformitate. Sed id ipſum genus argumentorum uſurpat *Huetius*, quibus ſuas ſimilitudines fundari oſtendit. Ergo non ſunt inanes, vagæ, & quæ ad quamlibet perſonam accommodari poſſunt, illæ ſimilitudines, quas inter *Moſem* & pleroſque Gentilium Deos & Heroas deprehendit & explicat *Demonſtrator Evangelicus*, prout excipit *J. Tolandus*; ſed concinnæ & certæ, pro ratione rerum & temporum. Nec ſatis intelligo, quid ſibi velit *J. Tolandus* eodem *paragr.* 4. *pag.* 10. ubi ait *Huetium* omnes Gentilium Deos & Heroas ad unum *Moſem* referre *contra rationem temporum:* non enim neceſſum eſt, omnes illos Principes, Poëtas, Legumlatores diverſarum gentium uno eodemque tempore vixiſſe, & *Moſi* coævos fuiſſe, ut ex ipſo effingi potuerint. Sufficit, omnium illo-

illorum Heroum primum exſtitiſſe *Moſem*, eumque præclara geſſiſſe, magnaque diſcrimina rerum obiiſſe, ut ex illo archetypo viro & ex illo primo & præſtantiſſimo exemplari diverſas larvas diverſasque perſonas fabulares diverſarum gentium fabulæ effinxerint & unum ex altero expreſſerint, licèt Hiſtoriæ primævæ veritatem mirum in modum deturparint & obſcurarint ſuperſtitio & ignoratio, ut & tempus, Poëtarumque figmenta. Quamvis autem Fabula tempora & perſonas confundat, tamen non inde ſequitur *Huetium* illas ſimilitudines Ethnicorum Heroum & Deorum cum *Moſe* contra omnem temporum rationem inſtituere: nullæ enim gentium Hiſtoriæ & Fabulæ ipſo *Moſe* ejusque ſcriptis antiquiores ſunt. Multò minùs curare debemus *J. Tolandi* cenſuram, qui loco ſuperiùs memorato *paragr.* 4. illas diverſas ſignificationes, tum hiſtoricas, tum phyſicas, quas uni eidemque fabulari perſonæ ineſſe vult *Huetius*, ut ridiculas explodit; cùm tamen omnibus eruditis conſtet eas fundari in Fabula, & exinde in immenſum excreviſſe Heroum Deorumque fabellas: Gentiles enim ſuorum numinum appellationes diverſis perſonis & rebus tribuere ſolebant, ita ut unum idemque nomen plures utriusque generis ſignificationes habuerit. Sic *Jovis* nomen Planetam & Æthera φυσικῶς, Regem verò Cretenſium & *Hammonem* ſive *Noachum* ἱστορικῶς ſignificabat. *Juno* erat Aër φυσικῶς, *Jovis* verò uxor & *Saturni* filia ἱστορικῶς. *Apollo* fuit ſol & peritus Muſicus. Qui plura velit, legat *Ciceronem de Natur. Deor. lib.* II. ubi Theologiæ Gentilium rationem phyſicam & hiſtoricam aperit exemplo *Jovis*, *Junonis*, *Saturni*, aliorumque numinum; necnon adeat *Huetium Propoſ.* IV. *cap.* X. quo in loco

loco hunc nodum ſolvit, oſtenditque diverſas ſignificationes, & phyſicas & hiſtoricas, illaque nomina, quæ ſtellis, elementis, aliisque rebus accommodaverant Veteres, *Moſi*, vel ejus uxori *Sephoræ*, aut ſorori *Mariæ* indidiſſe Fabulam mendacem & multiformem; ita ut ſuam craſſam inſcitiam, aut appetitum convitiandi *Demonſtratorem Evangelicum*, ut & alios Theologos, manifeſtò prodiderit *J. Tolandus*. Itaque non ſolùm *ſecundum viros Theologos*, (ut maligno riſu carpit noſter Cenſor) ſed ſecundum viros eruditos, uni eidemque perſonæ fabulari inſunt diverſæ ſignificationes, quas non excogitavit *Huetii* aut aliorum Theologorum improba fatuitas, prout ex odio Religionis & ſolita procacitate, eos qui ſacra tractant, exprobrat *J. Tolandus paragr.* 2. *pag.* 106. ſed eorum induſtria eas invenit in fabulis: poſtquam enim homines a vero deflexerunt in multiplices errorum anfractus delapſi fabulas fabulis addere non deſiverunt; unde factum eſt, ut *Moſis* munera, virtutes, caſus, facta, dicta, ſcriptaque, ut & quæ ejus uxorem & ſororem ſpectant, in diverſas larvas diſtribuerint, innumeraque nomina effinxerint fabularum fabricatores & hiſtoriæ corruptores. Contrarium autem demonſtrare tenebatur *J. Tolandus*, ſi contra *Demonſtratorem Evangelicum* ordine & methodicè argumentari vellet aut noſſet. At quid agit? Ipſe miratur, exclamat, excipit, convitiatur, exſibilat; nihil verò probat; quia ſcilicet ipſam *Huetii* Theſim de ortu & progreſſu Ethnicorum Theologiæ, quam a *Moſe* ipſo ejusque actis & ſcriptionibus manaſſe aſſerit *Demonſtrator Evangelicus*, aggredi eamque rationibus refellere non auſus eſt noſter Cenſor. Tandem dato, non conceſſo, incertas

certas parùmque firmas eſſe *Huetii* conjecturas de origine Ethnicorum Hiſtoriæ fabularis, neque conſtare horum Theologiam a *Moſe* ejusque actis & ſcriptis dimanaſſe; tamen non inde ſtatim corruet veritas *Demonſtrationis Evangelicæ* hac in parte: *Moſis* enim librorum antiquitatem & *γνησιότητα* probare ſtudet *Huetius* teſtimoniis Scriptorum, tum ſacrorum, tum exoticorum, quorum loca adducit & deſcribit *Propoſ.* IV. *capp.* I. II. Deinde *cap.* III. aliud argumentum addit, deductum a Gentilium Mythologiæ & Theologiæ cum *Moſis* ſcriptis conformitate; ut inde efficiat *Moſem* exſtitiſſe quotus quantusque fuiſſe perhibetur ac creditur, ut & ejus ſcripta antiquiſſima & genuina eſſe. Liquet autem vim argumentationis *Huetianæ* non fundari illis conjecturis & ſimilitudinibus, quas ex fabulis & hiſtoriis antiquis eruit vir ille eruditiſſimus; ſed imprimis Veterum teſtimoniis niti, qui de *Moſis* perſona & ſcriptis veriſſima & cum *Pentateucho* conſentientia memoriæ tradiderunt. Horum teſtium auctoritatem confutare *J. Tolando* imprimis incumbebat, non verò illas ſimilitudines *Moſis* cum Ethnicorum Diis Heroïbusque ab *Huetio* notatas ſine ambage & probatione explodere. Multò minùs acrioris judicii Cenſorem decet, quæcumque a viro omni eruditione claro in hunc locum adducuntur, *inanes nugas* vocitare, *quæ apud credulos & imperitos pro demonſtrationibus ſpecioſè & magnificè venditantur*, *Origin. Judaïc. paragr.* 5. *pag.* 112. cùm cuivis legenti manifeſtum ſit, hanc *Demonſtrationis Evangelicæ* partem præſertim inniti *Moſis* librorum antiquitate & puritate, quæ demonſtratur Veterum teſtimoniis & ſacrorum Scriptorum auctoritate; prout nos docet ipſemet *Huetius Propoſ.* IV. *cap.*

III. ſub initio, ubi hæc habet: *Licèt teſtimoniorum ſeries, quæque hucusque adduxi, ſive ea, quæ ſacri, ſive ea, quæ exotici Scriptores nobis ſubminiſtrarunt, ſufficiant ad demonſtrandam librorum* Moſis γνησιότητα *&* *antiquitatem, tamen aliâ ſpecie probationum utemur, quâ gentium Deos & Heroas, qui ferè in univerſo orbe culti ſunt, earumque conditores, legumlatores, imò totam Ethnicorum Theologiam ab ipſo* Moſe *ejusque actis & ſcriptionibus manaſſe demonſtrabimus.* Ergo hâc argumentatione ex abundanti utitur *Huetius.*

Cap. II.

In quo Huetius *ab injuſta* J. Tolandi *cenſura iterum vindicatur.*

I. Sed omnia illa teſtimonia, quæ de *Moyſe* adducit *Huetius Propoſ.* IV. *cap.* I. (ejus Cenſor voluit dicere II.) ut falſa, aut perperam citata, rejicit *J. Tolandus Origin. Judaïc. paragr.* 2. *pag.* 105. ubi ex alicujus *Strabonici* loci alienâ, ut putat, citatione hanc univerſalem cenſuram ſubjungendi occaſionem arripit: *At hoc nulli mortalium mirum videri debet, qui novit multò majorem numerum, inter plus quàm ſexaginta teſtes, in iſto capite ab* Huetio *citatos, ne de* Moyſe *vel per ſomnium unquam cogitaſſe; neque ullum ex reliquis omnibus, præter unum aut alterum Judæum, vel minimam* Moyſis *feciſſe mentionem ad* Huetii *mentem. Et, ut quod res eſt ingenuè dicam, nulla fermè reperire poterit citatio in prolixo illo volumine, quæ non ſit aut manca, vel detorta, aut falſa prorſùs, & aliena.* Quo in loco vel miræ ſocordiæ, vel inſignis fraudis

fraudis inſimulatur *Huetius*. Quis autem ſanæ mentis ſibi perſuadebit, virum immensè eruditum & acerrimi judicii plusquàm duo millia teſtium, vel nullo, vel alieno ſenſu, in ſuam cauſam adduxiſſe? Sed hæc ſunt ſomnia vel potiùs deliria *J. Tolandi*, qui talia portentoſa crepare ſolet, aut ut accurati & acutiſſimi Cenſoris famam ſibi conflet, vel hoc in loco ut *Huetio* ejusque *Demonſtrationi Evangelicæ* juſtum pretium & debitam laudem eximat apud illos, qui eximium illum Theologum non norunt, aut ejus librum nunquam legerunt. Ac vix crediderim noſtrum Cenſorem unquam legiſſe *Demonſtratorem Evangelicum*; vel ſi legerit, id feciſſe oſcitanter, prout patet ex nonnullis *Demonſtrationis Evangelicæ* locis ab eo in ſuis *Origin. Judaïc.* allatis; vel hanc injuſtam *Huetii* cenſuram ab aliis Religionis hoſtibus ſine examine accepiſſe & chartæ commiſiſſe, quod maximè injuſtum & invidioſum eſt. Nec ſecundò quia unum aut alterum locum ab *Huetio* citatum exagitat *J. Tolandus* in ſuis *Originibus Judaïcis*, inde conficit, citationibus mancis, aut detortis, aut falſis prorſùs, & alienis refertam eſſe totam *Demonſtrationem Evangelicam*. An omnia teſtimonia de *Moſe*, quæ vel ex ejus ſcriptis, vel ex Prophetis, vel aliis Scriptoribus ſacris adduxit *Huetius*, ſunt vel manca, vel falſa, vel aliena? Attamen Lex & Evangelium, Prophetæ & Apoſtoli, imò ipſe *Chriſtus* egregiè teſtantur de *Moſe* & de ejus ſcriptorum antiquitate, puritate, & auctoritate. *Exod.* XXXIV: 27. apertè refertur *Moſes ſcripſiſſe univerſos ſermones Domini.* Iterum *Deuteronom.* XXXI: 9. 10. 11. 25. 26. *Moſes itaque ſcripſit Legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fœde-*

ris Domini, & cunctis Senioribus Iſraëlis, ut eam ponerent ad latus Arcæ. Joſ. 1: 7. 8. *Ipſemet Joſua a Deo jubetur cuſtodire & facere omnem Legem, quam ipſi præcepit Moſes ſervus Domini.* Et in libris *Reg. Paralip.* & reliquis V. T. Codicibus conſtans fit mentio *Moſis* & Legis ab ipſo latæ & ſcriptæ. An exotici Scriptores, an Græci Philoſophi, an Latini Auctores *ne quidem per ſomnium de* Moyſe *cogitarunt*, vel *de illo mentionem nullam fecerunt ad mentem Huetii*? Quid dicet de *Sanchoniathone* Phœniciarum rerum Scriptore antiquiſſimo, qui juxta *Porphyrium* & *Philonem Byblium* ejus Græcum Interpretem apud *Euſeb. Præpar. Evangel. libb.* I. & X. *commentarios ſuos accepit a Jerombalo Sacerdote Dei Jevo, & de Judæis veriſſima prodidit.* Ille *Jerombalus* eſt *Gedeon*, ut placet eruditis, & ut patet ex affinitate hujus nominis cum altero *Gedeonis* nomine, *Jerubbaal* ſcilicet. Ipſemet *Sanchoniathon*, cùm de rerum principiis & origine mundi commentaturus eſſet, ſummâ diligentiâ *Taauti* libros evolvit, & ex illo litterarum repertore & primo Hiſtorico ſumpſit ſcribendi argumentum: nam hujus Phœnicis Scriptoris fragmenta & excerpta, quæ ab *Euſebio* ſervata ſunt, ubique referunt doctrinam de Deo uno, de creatione mundi & aliis originibus ſacris, quæ a *Moſe lib. Geneſeos* traduntur. Vide *Bochartum Chan. lib.* II. *cap.* XVII. Quid dicet noſter Cenſor de *Thalete* Phœnice apud *Joſephum lib.* I. *contra Appionem*, & apud *Laërtium* in *Vita Thaletis*? Quid de *Pythagora*, de *Socrate*, de *Platone*, de *Ariſtotele*, aliiſque Philoſophis, quorum ſcripta & placita plerumque ſapiunt Theologiam & Coſmogoniam *Moſis*? *Diodorus Siculus lib.* I. *Trogus Pompejus* a *Juſtino* in Epitomen contra-

ctus,

ctus, *Strabo lib.* XVI. *Juvenalis Sat.* XIV. *Galenus de differ. pulſ. lib.* III. & *de uſu part. lib.* XI. *cap.* XIV. *Tacitus Hiſtor. lib.* V. *capp.* III. IV. aliique innumeri Græci & Latini Scriptores *Moſem* ut Legiſlatorem & Imperatorem gentis Judaïcæ memorarunt, & plura narrant quæ hiſtoriam & libros *Moſis* redolent. An *Joſephus*, an *Juſtinus Parænes.* an *Clemens Alexandrinus Protrept.* an *Cyrillus contra Julian.* an *Euſebius Præparat. Evangel.* aliique Patres nil clari & diſtincti habent de *Moſe* & Judæis, qui illam controverſiam contra Gentes ex profeſſo tractarunt & propemodum exhauſerunt? An illorum & innumerorum aliorum locorum ſenſum non intellexit *Huetius*? An tam ſtupidus fuit *Demonſtrator Evangelicus*? An ipſi tam læva fuit mens, ut omnes illos Auctores perperam citaverit? An tam inſignis falſarius, ut eorum ſenſum conſultò corruperit detorſeritque? Attamen quæ de *Moyſe* habent, vel expreſſè, vel implicitè illi Veteres, ad *Huetii* mentem ſine vi ulla aut fraude accommodantur, qui contendit *Moſem* ejusque ſcripta a primævis temporibus & conſtanti traditione innotuiſſe Gentilibus ipſis, idque conſtare ex teſtimoniis, quæ de *Moſe* ejusque gente perhibent illi Scriptores exotici & Chriſtiani, ab *Huetio* in hanc cauſam adducti. Sed illa omnia ex ordine expendere non eſt noſtri otii neque inſtituti, hancque litem dirimendam relinquo iis, qui *Huetii Demonſtrationem Evangelicam* legerunt, aut legere dignabuntur, nominatim illam partem, quæ *Moſem* ſpectat. Interim noſtrum Cenſorem provoco, ut ſigillatim oſtendat illos teſtes ab *Huetio Propoſ.* IV. *cap.* II. citatos, qui de *Moſe* non ſomniarunt; vel illos plures Auctores, qui nullam *Moyſis* mentionem fecerunt

ad *Huetii* mentem, vel ut indicet & exponat innumerabiles illas citationes mancas, falſas, & alienas, quibus prolixum illud volumen ſcatet & ſordet; & donec illud fecerit, jure meritò habebitur pro injuſto calumniatore, qui non tam negligentiæ, quàm fraudis crimen *Huetio* impingere ſtudet.

II. Nam *paragr.* 2. *pag.* 104. *Huetii* candorem taxat, quaſi *Strabonem*, *Diodorum Siculum*, & mille alios teſtes in ſuam *Demonſtrationem Evangelicam* citaverit, quos ad ſuam cauſam minimè facere noverat. Nempe *Demonſtrator Evangelicus*, ut & *Ouzelius* in *Notis ad Minutii Felicis Octavium*, & *Patres Chriſtiani* ſunt improbi falſarii. Quoad *Ouzelium* attinet, noſtrum Cenſorem remitto ad celeberrimum & eruditiſſimum *Jacobum Gronovium* in *Præfatione ad Minutii Felicis Octavium*, quem nuperrimè recenſuit & edidit: illo enim in loco vir doctiſſimus *J. Tolandi* litterarum Græcarum imperitiam, ut & temeritatem in bonis veritatis Athletis accuſandis & calumniandis non immeritò reprehendit. Nec æquiùs & honeſtiùs *J. Tolandus* tractat *Huetium*, *Euſebium*, *Cyrillum*, *Juſtinum*, aliosque Theologos, tum antiquos, tum recentiores; quibus improbæ fatuitatis *paragr.* 2. *pag.* 106. vafritiei & nequitiæ *paragr.* 3. *pag.* 109. dicam temerè impingit; ea ſcilicet de cauſa, quòd illi Patres Chriſtiani, nominatim *Euſebius* in *Præparat.* & *Demonſtr. Evangelica mille loca* (ut hyperbolicè pro more ait noſter Cenſor, quæ vix crederem eum legiſſe, multò minùs notaſſe) *Philoſophorum & Poëtarum de mundo Pantheïſtico pro Dei unius exiſtentia & perfectione allegare ubivis ſolet*, & quod ſub *tantis & talibus auſpiciis* horum falſariorum, & ex illis piis fraudibus

dibus *vafrè & nequiter excogitatis* plura millia falſarum citationum & inanium nugarum collegit & concluſit in ſua *Demonſtratione Evangelica Huetius.* Sed miſſis Patribus Chriſtianis, quos tam probè legit, & quorum pias fraudes æquè accuratè ac *Ouzelii Notas ad Minutii Felicis Octavium* obſervavit *J. Tolandus*, breviter *Huetium* vindicabimus a noſtri hominis injuſta cenſura, qui hujus eximii viri candorem traducere, & nequioris vafritiei notam inurere auſus eſt. Nam primò quotquot norunt celeberrimum *Huetium*, (inter quos apud me primas tenet doctiſſimus, eruditiſſimus, & humaniſſimus vir *Hadrianus Relandus* Linguarum Orientalium apud Ultrajectinos Profeſſor Ordinarius, cui addam clariſſimum *Sickium* apud Cantabrigienſes Linguæ Sanctæ Profeſſorem meritiſſimum) vel quotquot ejus libros evolverunt, ipſis conſtat eum eſſe virum candidiſſimum & ab omni fuco alienum. Si verò ejus ſcripta inſpiciamus, ſui Auctoris ſummum candorem & ſimplicitatem, ut & vim rationis & evidentiam argumentandi, præ ſe ferunt: non enim ſpecioſis & magnificis nominibus, neque ambiguis & æquivocis verbis utitur; non falſas aut detortas citationes, neque Rhetoricæ fucos adhibet; non induſtriæ aut diligentiæ, neque ſcientiæ & eruditionis famam venatur; ſed ab his & ſimilibus artificiis & fallaciis ſycophantarum & ſubdolorum ingeniorum abhorret *Demonſtrator Evangelicus*: ſimpliciſſimam enim & evidentiſſimam minimèque fucatam & fallacem methodum proſequitur *Huetius* in ſua *Demonſtratione Evangelica*, ſiquidem claris & indubitatis definitionibus, æquiſſimis, & a nemine, niſi pervicace, non concedendis poſtulatis, axiomatibusque manifeſtiſſimis eanitatur.

Hâc autem Demonſtratione, quæ hujusmodi principiis fundatur & ex iisdem educitur, quid ſimplicius, quid apertius, quid Auctoris candori & ſinceritati magis conſonum eſſe poteſt? Aliàs Geometræ vafri & ab omni candore alieni homines cenſendi ſunt, quia eadem methodo inſiſtunt, ſimiliaque principia uſurpant, quæ in *Demonſtratione Evangelica* adhibentur. Fateor quidem in hujusmodi Diſputatione, quæ in rerum geſtarum veritate perſcrutanda imprimis verſatur, non poſſe reperiri nec adhiberi illam Geometricam brevitatem & ſimplicitatem, quam non fert rei præſentis natura. Attamen certiſſimis & manifeſtiſſimis principiis, nec minùs certis, quàm ipſis Demonſtrationibus Geometricis, innititur & progreditur *Demonſtratio Evangelica*, prout patet ex *Præfat. paragr.* 3. ex *Definit.* VII. & ex *Axiom.* IV. quò refero Lectores. Deinde ſincerum Religionis amorem profitetur, vimque veritatis conſtanter ſequitur *Huetius:* ſuas enim propoſitiones ex poſitis principiis optimè educit & probat; ſuos teſtes ex ordine adducit; ſua argumenta admirabili methodo diſponit; Adverſariorum argumenta ſimplicitate ſummâ exponit, nil eorum vi detrahit, eaque magnâ evidentiâ refellit; ut paucis dicam, nudam veritatem profert & probat. Ubi igitur ſe prodit *improba fatuitas*, aut *nequior vafrities Huetii* aliorumque Theologorum? Ubinam latent illæ fraudes piæ in *Demonſtrationis Evangelicæ* ſubſidium excogitatæ? Sed tam injuſtam cenſuram nemo mirabitur, qui novit apud *J. Tolandum* ejusque ſimiles, eos, qui veræ Religionis defenſionem & demonſtrationem ſuſcipiunt, haberi pro vafris ingeniis, improbâque fatuitate captis; eo quòd eam non poſſe demonſtrari exiſtimet noſter Cenſor. Hæ

autem

autem ſunt meræ calumniæ, quas jam refutavimus, quasque ulteriore reſponſione indignas cenſeo. Si enim *J. Tolandus Huetii* vafritiem, aut malam fidem, aut improbam fatuitatem in *Demonſtratione Evangelica* ſuſcipienda & perſequenda, prout bonum Cenſorem decet, reprehendere voluiſſet, ipſi imprimis incumbebat *Demonſtratoris Evangelici* principia negare & refellere, ut & propoſitionum, quæ illis principiis ſuperſtruuntur, falſitatem demonſtrare: at hæc foret ars longa & moleſta invidioſo calumniatori, qui malit perſonas carpere, quàm res expendere, ut Epicurei, de quibus *Cotta* ad *Vellejum* ſic conqueritur apud *Ciceronem de Natur. Deor. lib.* II. *paragr.* 13. *Veſtra ſolùm legitis, veſtra amatis: cæteros cauſâ incognitâ condemnatis.* Sanè mali doli crimen in *J. Tolandum* retorquere meliori jure nobis licet. Jam ſæpiùs oſtendimus eum non eſſe ignarum artis ſimulandi & tergiverſandi in rebus, quarum cauſâ quid criminis aut invidiæ ſubire poſſet, ut in iis quæ Religionem ſpectant. Et ne extra hunc locum ſuarum *Origin. Judaïc.* excurramus, rogo, is, qui *paragr.* I. *pag.* 103. ex *Cicerone de Divinat. lib.* II. ait, *nec verò ſuperſtitione tollendâ tollitur Religio*; attamen ipſemet eo ipſo *paragr.* ex eodem *Cicerone de Natur. Deor. lib.* I. præmiſit *totam de Diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus Reipublicæ cauſâ: ut quos ratio non poſſet, eos ad officium Religio duceret*; & loco antea memorato *ad opinionem vulgi & ad magnas Reipublicæ utilitates retineri Religionem*, nonne eſt vafer & ſubdolus ſimulator, qui uno loco negat, quod altero dicere finxerat? Iterum *paragr.* 2. *pag.* 106. ſimulat ſe curare Religionem Chriſtianam, ne quid præjudicii ei accedat;

eodem verò *paragr.* & ſequentibus, qui ſinceram & diligentem operam impenderunt in Religione Chriſtiana defendenda & demonſtranda, eos omnes, præſertim *Huetium*, exſibilat & explodit, eorumque ſcripta & labores ad fabulas aniles, ad nequiorem vafritiem, & improbam fatuitatem refert & ablegat; qui loca pro mundo Pantheïſtico diligenter colligit, & Atheïsmi teſtes & athletas adſciſcit *Diodorum Siculum*, *Ciceronem*, *Strabonem*, Litteratores Sinenſes, aliosque Orientales, & inter Græcos antiquos & Romanos quamplurimos doctos & ſapientes viros, nonne is eſt, qui artem ſimulandi probè callet, quique ſub ſpecie pietatis ſuam impietatem tegit? Itaque deſinat noſter Cenſor in tam inſipidas & importunas erumpere exclamationes in *Huetium* aliosque viros Theologos, quorum ſcripta non intelligit, vel ſaltem non legit; prout patet exemplo *Ouzelii*, *quem dicit multos produxiſſe Scriptores*, *a quo ne unus quidem productus eſt*, ut celeberrimi *Gronovii* in *Præfat. ad Minutii Felicis Octavium* verbis utar: quidquid enim exclamet & ſtomachetur *J. Tolandus Orig. Judaïc. paragr.* 3. *pag.* 108. nihilominus *Huetius* aliique boni Theologi manent egregii veritatis athletæ, ſuntque veraces & accurati Religionis defenſores & demonſtratores; dum noſter homo ſe monſtrat imperterritum Atheïsmi athletam, hoſtemque Religionis infenſiſſimum, licèt ineptiſſimum, eo quòd pronunciare audeat de partibus ſtudiorum, quas nequaquam inquiſivit aut novit.

III. Nec denique morari debemus quæ *J. Tolandus paragr.* 4. *pag.* 111. contra *Huetium* excipit, quaſi *Moſem* fecerit prorſùs ſimilem *Baccho*, *Priapo*, *Adonidi*, *aliisque infamibus & pro-*

booſis

broſis numinibus; *Mariam* verò ejus ſororem omnibus fabularibus Deabus, *non ipſâ propudioſâ Venere exceptâ*, comparaverit. Unde noſter Cenſor *Huetium* impietatis inſimulare videtur, eo quòd velit *illa probroſa numina*, *ipſosque Deos infernales*, *eosdem prorſùs eſſe cùm divino Hebræorum Legiſlatore. Demonſtrator* autem *Evangelicus* non exiſtimat, nec ullibi affirmat, illos Deos infames ab omni parte prorſùs eosdem eſſe cum *Moſe*, ita ut eorum vitia & opprobria, quæ fabularum fabricatores finxerunt, divino Hebræorum Legiſlatori omninò conveniant; quod planè impium eſt, ideoque ab *Huetii* mente & pietate prorſùs alienum. Sed ille vir eximius hoc tantùm ſibi vult, plura ſcilicet in illis numinibus probroſis deprehendi, quæ *Moſem* referunt, quæque fabula mendax interpolavit mirumque in modum obſcuravit. Unde concludit *Moſem* eſſe archetypum, ad quem expreſſi ſunt illi Dii fabulares, quod ſalvâ pietate dici poteſt, quia veri non abſimile eſt. Profectò *Huetius* nunquam cogitavit de *Moſe* opprobriis afficiendo; ſed cenſet *Moſis* eximias virtutes, munera, præclarè geſta &c. imitatos fuiſſe fabulatores, & ex iis finxiſſe diverſos Deos fabulares, quorum nonnullis probroſa tribuerunt ob verba & nomina Hebraïca perperam intellecta, aut ex fabuloſa protervia. Miror autem *J. Tolandum* ita ſollicitum de fama *Moſis*, quem quavis datâ occaſione probris afficit: ipſi enim ſuperiùs tribuit fraudem piam in tranſitu maris rubri: inferiùs verò demonſtrare ſtudebit, eum Pantheïſtam vel Atheum, ut & in Ægypto ſeditionis inſignia ſuſtuliſſe, & belli ſervilis ducem fuiſſe. Sed de his mox paulò fuſiùs. Interim in defenſionem *Huetii* ejusque *Demonſtrationis Evange-*

vangelicæ plura addere non vacat, & quæ hac de cauſâ diſſeruimus, mihi ſufficere videntur.

Cap. III.

In quo breviter expenduntur J. Tolandi *animadverſiones in locum* Diodori Siculi lib. I. *ſub finem, ab* Huetio Demonſtrationis Evangel. Propoſ. IX. cap. II. paragr. 35. *citatum.*

I. Superiùs obſervavimus *J. Tolandum* ſæpiùs arguiſſe celeberrimum *Huetium*, vel fallaciæ, vel ſupinæ oſcitantiæ, vel craſſæ inſcitiæ, ejusque *Demonſtrationi Evangelicæ* dicam vafritiei aut nequitiæ ſine ambage impegiſſe, eo quòd prolixum illud volumen citationibus, vel mancis, aut falſis, vel detortis, & prorſùs alienis refertum ſit. Sed ne id gratis & invidioſè aſſerere videretur noſter Cenſor, ea de cauſa unum aut alterum locum inter duo millia caſtigat & virgulâ cenſoriâ perſtringit. Ejus autem caſtigationes caſtigare operæ pretium erit; pauca tantùm animadvertemus in locum *Diodori Siculi* a *J. Tolando* vexatum, ut citiùs tranſire liceat ad locum *Strabonis*, in quo examinando præſertim inſiſtendum erit.

II. Locus *Diodori Siculi* a *J. Tolando* notatus *Origin. Judaïc. paragr. 5. pag.* 102. exſtat *lib.* I. ſub finem, isque adducitur ab *Huetio Demonſtr. Evangel. Propoſ.* IV. *paragr.* 35. (non verò 37. prout hîc habet *J. Tolandus*) in teſtimonium *Moſis.*

Moſis. Noſter autem Cenſor hoc teſtimonium a *Demonſtratore Evangelico* adductum in laudem *Moſis* expendit, indeque ipſum *Huetium*, ut & Patres Chriſtianos *Juſtinum* & *Cyrillum*, imò ipſum *Moſem* ejusque doctrinam & leges corripiendi & injuſtis animadverſionibus vexandi occaſionem ſumit. Primò *J. Tolandus Huetium* vel fraudis, vel oſcitantiæ nullo piaculo condonandæ arguit, eo quòd dixerit *Diodorum* præclarum elogium de *Moſis* virtutibus habere, & de eo tradidiſſe memoriæ, quòd Ægyptiis primus leges poſuerit. Sed pace noſtri Cenſoris hæc non tam confidenter aſſerit doctiſſimus *Huetius*; ait quidem loco mox memorato, *Diodorum Siculum* præclaro elogio ornaſſe *Moſem*, quia ſcilicet exiſtimat *Demonſtrator Evangelicus*, ipſum *Moſem* fuiſſe *Mnevem* virum illum magni animi & ſapientiſſimum legumlatorem a *Diodoro* laudatum; id autem demonſtrare ſtudet *Huetius* ex nomine, ætate, virtutibus, & munere illius *Mnevis*, quæ omnia *Moſi* optimè conveniunt, qui etiam vixit a primitivis ſæculis poſt tempora fabuloſa Heroum & Deorum, a quo leges & ſtatuta Ægyptii acceperunt, quique virtutibus bellicis & politicis inſignior fuit. Hæc conſultò tacet *J. Tolandus*: vereor, ne id vafrè fiat. Nec minùs injurius eſt in *Huetium* noſter Cenſor, quando ibidem ironicè addit, *Demonſtratorem Evangelicum*, notatâ *Diodori* ignoratione, demonſtrare *Moſem* eſſe ipſum *Mnevem*, quia *Mneves* eſt *Oſiris*, *Oſiris* autem eſt *Bacchus*, qui idem eſt ac *Moſes*: debebat enim probare, illos Deos fabulares nec eſſe, nec eſſe poſſe ipſum *Moſem*. Sed ſatis eſt *J. Tolando*, ſi eruditiſſimum & candidum virum reprehendat & exſibilet, nullâ adhibitâ ſuæ cenſuræ probatione.

Tandem

Tandem *Huetius* loco dicto concludit, licèt non conſtaret *Moſem* eſſe illum *Mnevem* virum apud Ægyptios celebratiſſimum; ut *Diodorus* illos duos viros nominatim diſtinguere videtur, notante & ingenuè fatente *Demonſtratore Evangelico*, tamen Scriptorem illum exoticum cum elogio memoraſſe *Moſem* ut legumlatorem peritiſſimum, *qui leges a Jao cognominato Deo accepit.* Illud autem *Diodori* teſtimonium ſufficit ad propoſitum *Huetii*, qui inde colligit antiquitatem *Moſis* ejusque ſcriptorum γνησιότητα, ut & illius Hebræorum legumlatoris famam & notitiam perveniſſe ad *Diodorum Siculum*, quem eum in finem citat *Huetius.* Qui plura deſiderat, adeat locum *Demonſtrationis Evangelicæ* a *J. Tolando* vexatum. Interim concludo *in loco Diodori, qui nunc controvertitur, non planè aſſeri contrarium præterquam in Demonſtratione Evangelica nusquam invenies.* Nec eſt *precarium & ridiculum argumentum*, quo utitur *Huetius*; multò minùs illud adhibet in *irrefragabilem Religionis Chriſtianæ demonſtrationem*, prout ridiculè & invidioſè exclamat *J. Tolandus* ſub finem *paragr.* mox laudati.

III. Præterea *J. Tolandus* ibidem multò iniquiùs tractat *Juſtinum* & *Cyrillum*, quos *falſarios* & corruptores loci *Diodori Siculi* habet, eo quòd pro *Mneve Moſem* legerint. Primò enim fieri potuit, ut *Juſtinus* & *Cyrillus Diodori* exemplaria viderint, quæ pro *Mneve* habebant *Moſem*, ſicque unus error alium errorem pepererit. Mendum autem naſci potuit, vel ex incuriâ & inſcitia amanuenſium; vel forſan ex nota marginali, quæ ſenſim in textum irrepſit; vel potiùs ex fama *Moſis*, qui apud omnes gentes, præſertim apud Ægyptios, celebratiſſimus fuit;

unde

unde *Cyrillo* & *Juſtino*, ut & aliis hominibus, proclive fuit credere, illum *Mnevem*, virum magni animi, & de publico benè meritum, qui primus leges poſuit Ægyptiis, fuiſſe ipſiſſimum *Moſem*; vel (ut obſervat & ingenuè fatetur *Huetius* ſuæ *Demonſtr. Evangel. paragr.* ſuperiùs memorato) *Juſtinus* non benè intellexit locum *Diodori Siculi*, quem deceptum ſecutus eſt *Cyrillus*; vel locus *Juſtini* corruptus eſt. Sed quidquid ſit, nec probat, nec unquam probare poterit *J. Tolandus*, *Juſtinum* & *Cyrillum* fuiſſe *falſarios*: nullus enim Gentilium, contra quos ſcripſerunt illi Patres, hanc notam infamiæ eis unquam inuſſit. Si illos Patres Chriſtianos vel ignorationis, vel negligentiæ accuſaſſet noſter Cenſor, aliquatenùs excuſari aut tolerari poſſet ejus cenſura. Sed locum *Diodori Siculi*, qui controvertitur, eos conſultò corrupiſſe, hoc eſt quod negamus, & hoc ipſum indicat *J. Tolandum* duorum illorum Patrum Chriſtianorum invidum eſſe & injuſtum obtrectatorem. Tandem, quid de *Moſe* dicam? nam ex illo ipſo *Diodori* loco, qui nunc ventilatur, divinum Hebræorum Legiſlatorem cum *Minoe*, *Lycurgo*, *Zamolxi*, aliarumque gentium legumlatoribus & divinatoribus comparat *J. Tolandus*, indidemque concludit *Moſem* ejuſdem fraudis piæ reum teneri, utpote qui leges ſuas a Deo *Jao* accepiſſe finxerit. Sed *Moſem* ab illa injuſtiſſima & impia accuſatione ſuperiùs vindicavimus, quando Religionum inſtitutores & ſacrarum legum latores defendimus. Ut autem, quæ ad hunc *Diodori* locum, & ad *J. Tolandi* in eum caſtigationes dicenda habui, claudam, & ut, quod de his ſentio, ingenuè dicam, ſatis liquidò mihi conſtat, & *Huetium*, & Patres Chriſtianos, aliosque

que *Moſis* ejusque ſcriptorum defenſores a *J. Tolando* vexatos & exprobratos eſſe, eum ſcilicet in finem, ut ipſius *Moſis* famam lædat, & Religioni noceat.

Cap. IV.

In quo examinantur J. Tolandi *animadverſiones in locum* Strabonis lib. XVI. *ab* Huetio Demonſtrationis Evangel. Propoſ. IV. cap. II. paragr. 40. *allatum; & primò* Moſes *vindicatur ab imputatione Pantheïsmi.*

I. Jam perventum eſt ad locum *Strabonis* ex ſuæ *Geograph. lib.* XVI. deſumptum, qui a *J. Tolando* ventilatur, ut inde occaſio detur ipſum *Huetium*, qui illum locum adducit, ſed imprimis *Moſem* & Hebræos traducendi & convitiis proſcindendi: nam ſub initio *paragr.* 6. hæc habet: *Moſem enimverò fuiſſe Pantheïſtam, ſive, ut cum Recentioribus loquar, Spinoſiſtam, incunctanter affirmat in iſto loco Strabo.* Et ut pateat, ſe approbare quæ de Religione *Moſis* hoc in loco tradidit *Strabo*, tantum abeſt, ut illum Scriptorem exoticum confutet, quòd potiùs eum de *Moſis* Pantheïſmo teſtem adducat. Præterea in *Huetium* exclamat & invehitur, eo quòd *Strabonem* aliud dicentem induxerit. His adde, quòd *Strabonis* teſtimonium *Pentateuchi* narrationi anteponendum eſſe putat. Denique recenſet & adducit plures alios Pantheïſtas, nominatim *Ciceronem*

ronem de Natur. Deor. lib. II. *hodiernos Litteratores Sinenſes*, *quamplurimos Antiquos Græcos & Romanos*, *qui Pantheiſmum propagarunt*, *Pacuvii Poëtæ aureum fragmentum apud Ciceronem*. Superiùs autem *paragr.* 3. eum audivimus debacchantem contra *Ouzelium*, & contra *Euſebium* aliosque Patres Chriſtianos & viros Theologos, eo quòd mille loca Ethnicorum Poëtarum & Philoſophorum, in quibus aſſeritur Pantheïsmus, pro Dei Chriſtianorum unitate, exiſtentia, & perfectione adducant. Imò geſtit legendis & referendis illis ſuaviſſimis carminibus, quibus ipſiſſimus Gentilium quorumdam Atheïsmus decantatur a *Manilio Aſtronom. lib.* I. Et inferiùs *paragr.* 15. tum *Moſem*, tum Auctorem *Pentateuchi*, quem a *Moſe* diverſum eſſe ſtatuit, fuiſſe Pantheïſtas, ſatis apertè affirmat. Ex his & ſimilibus locis omninò efficitur, & noſtrum hominem eſſe Pantheïſtam, & eum omnem operam navare, ut *Moſem* aliosque viros doctos & celebres, præſertim inter Veteres, in Pantheïſtarum partes trahat: nam carmina *Manilii* & *Pacuvii* Atheïsmum decantantium ſunt ſuo palato *ſuaviſſima*, & in ſua æſtimatione *aurea* vel quantivis pretii; dum *Huetii* demonſtrationes ſunt nugæ inanes; talia Pantheïſtarum carmina ſunt *J. Tolandi* deliciæ; argumenta verò Theïſtarum ipſi creant nauſeam. Secundum noſtri Cenſoris judicium Theïſtæ ſunt vel vafri, vel nequiſſimi, vel nugaciſſimi homines; Pantheïſtæ verò ſunt plurimi optimi, ſagaciſſimi, benè morati, ſapientiſſimi, ſuaviſſimi Philoſophi & Poëtæ. Illi ſectantur fabulas aniles & fraudes pias; hi verò primævam, antiquiſſimam, certiſſimam, & doctiorum ſapientiorumque virorum Religionem tuentur. Sic ſentit, ſic decernit *J. Tolandus*.

II. Noſtrum Cenſorem eſſe Atheum non multùm moramur, præterquam ejus miſerrimam ſortem dolemus, ut & pervicacem malitiam & cæcitatem deteſtamur. Nec immorari debemus Pantheïſmo explicando & refellendo: id enim ſuperiùs abundè præſtitimus in noſtra *Defenſione Religionis*, in qua præcipua & fundamentalia Theïſtarum dogmata, quæ ab Atheis, nominatim a *J. Tolando*, impugnantur, pro viribus noſtris demonſtravimus; cùm præterea Pantheïſmus ſit tantùm certa forma & ſpecies Atheïſmi, quem ex inferis & ex ſcriptis quorumdam Ethnicorum Philoſophorum ſuperiore ſæculo reduxit *Spinoſa*. Denique hujusmodi Atheïſmi definitionem ex *Strabone* tradit noſter Cenſor *paragr.* 6. *pag.* 117. Sed quòd *Moſem* Pantheïſtam fuiſſe ſtatuit *J. Tolandus*, hoc eſt quid impium & intolerabile, quod idcirco confutare, contrarium verò confirmare conabimur, argumentis nonnullis petitis ex ipſius *Moſis* ſcriptis. Primum argumentum petitur ab operibus, quæ Deo tribuit *Moſes*, & in hiſtoria creationis, & in aliis *Pentateuchi* locis: nam ipſum *Geneſeos* librum ſic orditur: *In principio Deus creavit cœlum & terram.* Ubi tria notatu digna a divino Scriptore aſſeruntur. 1. Cœlum & terram complecti totam naturam & omnimodam rerum univerſitatem, quæ unicum Pantheïſtarum numen eſt. 2. Illam naturam & machinam mundi ſub nomine cœli & terræ comprehenſam a Numine diſtinguit *Moſes*, eum in modum, quo cauſa efficiens a ſuo effecto diſtinguitur: Deus enim eſt creator, cœlum verò & terra ſunt res ab eo creatæ. 3. Tempus, quo illam naturam produxit Deus, aſſignatur, in principio ſcilicet. Quæ & ſimilia Pantheïſmo nullomodo conve-

conveniunt: Pantheïſtarum enim natura & numen unum idemque ſunt; ea verò clarè & diſtinctè ſeparat & diſterminat *Moſes*, cùm hoc illius cauſam eſſe dicat. Pantheïſtarum natura a nemine creata eſt, utpote quæ ſecundum illos Philoſophaſtros rerum univerſitas & tota mundi compages ſit, niſi omnia dici poſſint creata a nihilo, quod abſurdum eſt; *Moſes* verò eam a Deo creatam eſſe tradat. Pantheïſtarum natura eſt æterna; ei verò initium vel creationem in tempore tribuit *Geneſeos* ſacer Scriptor. Forſan Adverſarii regerent, naturam ſeipſam creaſſe, quod vult *J. Tolandus paragr. 6. pag.* 117. ubi aſſerit; *naturam unicum eſſe & ſupremum numen, cujus partes ſingulas creaturas dicas, & totum, ſi velis, creatorem.* Sed hoc non dicit *Moſes*, nec diſtinguit mundum a rebus creatis, quas cœli & terræ nominibus juxta Hebræorum ſtylum expreſſit. Præterea repugnat naturam ſeipſam creaſſe, vel mundum creatorem eſſe rerum ſingularum, quia mundus non diſtinguitur a rebus creatis; niſi dicamus mundum creaſſe mundum, aut cœlum & terram creaſſe cœlum & terram; quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt? Denique quod creatum eſt, id habere initium neceſſe eſt; quod naturæ Pantheïſtarum non convenit, utpote quæ ab ipſis ſtatuitur æterna; vel ſi fuit creata, tum neceſſariò creata eſt ab alio, niſi velint nihilum ſeipſum creaſſe, quod ſanæ rationi repugnat. His adde, ex Pantheïſtarum principiis ſequi, ſingulas creaturas eſſe partes Dei, quia ſunt partes mundi, qui ſecundum ipſos Deus eſt; parique ratione illas ſingulas partes mundi eſſe tot numina, quia a ſe invicem diſtinguuntur, nec a ſe mutuò pendent, vel quoad eſſentiam, vel quoad exiſtentiam. Ex. gr. homo eſ-

ſentialiter diſtinguitur a bruto, & ſeorſim a bruto exiſtit; brutum a plantis, plantæ a lapidibus; imò, ipſum cœlum a terra, terra verò a cœlo: unaquæque enim pars clarè & diſtinctè concipitur ſine aliis, & exiſtere poſſet, licèt reliquæ penitùs interirent. Nec dicent Adverſarii, machinam mundi conſtituere ejus numen; inde enim ſequeretur quamlibet machinam eſſe Deum. Sic homo erit Deus, brutum erit Deus, imò minutiſſimum inſectum, quia eæ ſunt machinæ & diverſæ partium compages mechanicè diſpoſitarum. Multò minùs dicere auſint magnitudinem machinæ mundi, aut multitudinem partium, ex quibus componitur, eſſe formam aut fundamentum ejus divinitatis: tum enim maximæ & multiformes machinæ forent maxima numina, & quò major eſt machina, & ejus partes plures, eò major eſſet Deus. Sic elephas foret majus numen homine, quia craſſior & multiplex eſt machina. Nec poteſt mundus eſſe creator ſingularum creaturarum, quia ſingulæ creaturæ includuntur intra ſphæram mundi, & neceſſariò involvuntur in notione naturæ, quæ a Pantheïſtis numen eſſe ſtatuitur, eo quòd rerum univerſitatem complectitur, ita ut, ſi unica pars aut res deficeret in toto, tum totum non eſſet numen, vel ſaltem foret mancum & decurtatum numen. Quomodo autem potuit mundus eſſe creator cœli, quod neceſſaria eſt pars mundi, aut terræ, aut animantium, aut lapidum, &c. quæ comprehenduntur in univerſitate rerum, quæque totum Deum ſecundum Atheos conſtituunt? Forſan machina mundi ſeipſam creavit gradatim per partes, ac ſi homo, qui eſt machina ex variis organis & membris compoſita, primò creaſſet ſuum caput, deinde brachia, tum

tum pectus, donec tota ſua machina perfecta eſt. Sed inde ſequeretur, mundum ſeipſum creaſſe, cùm nondum foret, quia, antequam cœlum & terra omniaque quæ in iis continentur eſſent, nondum erat mundus, aut natura, quæ ex illis partibus emergit & adhuc componitur.

III. Tam abſurda tamque inſana nunquam cogitavit, nunquam aſſeruit *Moſes*, qui Creatorem a mundo quoad exiſtentiam & eſſentiam ſeparat, quorum prior eſt Deus, poſterior verò dicitur cœlum & terra. Deinde in eodem loco *Geneſeos* dum ſacer Scriptor creationis modum deſcribit, ſimul deſcribit partes illas mundi, quæ a cœlo & terra non diſtinguuntur, cùm hæc ex illis conſtituantur, imò unum idemque ſint. Ut ſi quis ex. gr. tractationem de homine aggreſſus in anteceſſum diceret, hominem componi ex anima & corpore, vel eum eſſe animam cum corpore; deinde ſingulas corporis partes & diverſas animæ facultates delinearet. Ibidemque *Moſes* ait illas partes machinæ mundi æquè ac cœlum & terram a Deo creata eſſe & in ordinem digeſta intra ſex dierum ſpatium. An hæc & ſimilia cum Pantheïſmo conveniant, videat *J. Tolandus?* Scriptor ſacer hæc habet: *Et Deus dixit, Sit lux, & lux fuit.* Lux nonne eſt de machina mundi? Profectò Stoïci lucem ad formam & compagem mundi ita pertinere exiſtimabant, ut luces & ignes cœleſtes, aſtra ſcilicet ſingula eſſe numina, crediderint, & ignem divinum ſtatuerint, qui totam naturam permeabat, eratque inſtar animæ mundi. Quomodo autem potuit mundus lucem, aquas, herbas, animantia, reliquasque res creatas ibidem deſcriptas eſſe jubere, cùm ipſemet mundus mechanicè nondum diſpoſitus eſſet, nec conſequenter nu-

men, cujus divinitas juxta Pantheïſtas fundatur in univerſa partium compage. Juxta *Moſem* Deus omnia compoſuit & in ordinem digeſſit, eaque intra ſex dies, quæ rationem & conſilium indicant. Natura verò Pantheïſtarum, quæ ſecundum Adverſarios eſt materia omni ſenſu, vitâ, & cogitatione carens, ordinem non novit, multò minùs ſeſe ordinare & in aptas formas componere potuit, cùm conſilii expers ſit: conatus enim machinæ aut caſus fortunæ conſtantem ordinem certosque fines & modos perſequi neſciunt nequeuntque; niſi velimus ex. gr. ex terræ & cœli conatibus poſſe effici, ut arbores ſuâ ſponte ſe plantent, in pomaria & in pulcherrimum ordinem ſeſe componant, ad certum temporis intervallum & ad certos uſus: aut litteræ in terram projectæ in *Virgilii Æneidem* ſeſe comparent. Hæc autem pleniùs diſputavimus in *Defenſione Religionis*, præſertim iis in locis, in quibus agebamus de exiſtentia, perfectione, & providentia mentis præſtantiſſimæ. Secundum Pantheïſtas ex *Strabone* a *J. Tolando* interpretato natura vel mundus nulli rei comparari poteſt aut debet; ſed ſecundum *Moſem* Deus creavit hominem ad ſuam ſimilitudinem *Geneſ.* 1: 26. *Moſes* ubique in Deum vertit regimen mundi, & rerum humanarum adminiſtrationem, adverſorum & ſecundorum cauſas, oracula, miracula, præſagia, prædictiones, quæ de natura Pantheïſtarum nullomodo explicari poſſunt. An natura allocuta eſt *Adamum*, *Abelem*, *Noachum*, *Abrahamum*, aliosqne viros ſanctos, qui in *Pentateucho* memorantur? An mundus oracula fundere & futura præſagire novit? An materia mechanicè diſpoſita exercitus delere, gentes profligare, maris ſinum aperire poteſt? An cœlum

&

& terra ex mechanicis conatibus viros ad munera obeunda mittere, an famem aut annonæ copiam, an aſtra ſiſtere valent? Quis talia unquam audivit? Quis tam mira tamque pulchra unquam excogitaſſet præter ſagaciſſimos Pantheïſtas? Hæc putida commenta relinquamus *Spinoſæ* & *J. Tolando*: nam tam impiarum nugarum me pudet & tædet; nec de iis ſomniavit divinus Hebræorum Legiſlator.

IV. Quid dicam de nominibus & perfectionibus, quibus Deum continuò exornat *Moſes*? An illa convenire poſſunt Pantheïſtarum numini? *Spinóſa* quidem & *J. Tolandus Origin. Judaïc. paragr.* 15. (ut ſemel & iterum obſervavimus) volunt nomen *Jehovæ* & alia Dei nomina, ut *El*, *El-shaddai*, *Eloha*, & perfectionem, quæ iis involvitur, Atheïſmo æquè ac Theïſmo convenire poſſe. Ergo ſecundum illos Philoſophaſtros machina mundi eſt *Jehova*; natura eſt *Alpha* & *Omega*, qui eſt, qui fuit, & qui erit; mundus eſt *El* omnipotens ſibique ſufficiens. Ergo cœlum, cujus circumflexu teguntur omnia, eſt numen æternum, neque genitum, neque interiturum unquam. Quoad perfectionem, quæ ſuo numini tribuunt Athei, id jam refellimus, quando egimus de exiſtentia mentis præſtantiſſimæ. Sed ſatis mirari non poſſum illorum hominum ſagacitatem, qui deprehenderunt, *Moſem* ſacroſancta Dei nomina remque iis ſignificatam de machina mundi intelligere: nam primò *Moſes* narrat *Exod.* III: 14. & VI: 3. Deum ſibi dixiſſe, *Jehova eſt nomen meum*; *ego ſum ille qui ſum*. 2. Ipſemet *Jehova* fuit Deus *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*. 3. Ille Deus fuit cognitus Patribus ſub nomine *Omnipotentis*, *Moſi* verò & Iſraëlitis ſub nomine *Jehovæ*. 4. Ille

Deus *Jehova Moſem* miſit in Ægyptum ad populum Hebræorum. Si ea autem Pantheïſtarum numini conveniant, ergo machina mundi *Moſi* apparuit in rubo, *Moſem*que miſit ad Iſraëlitas. Ergo natura ſe manifeſtavit Patriarchis nomine *Omnipotentis*, *Moſi* verò ſub appellatione *Jehovæ*. Ergo natura rerum fuit ſolius populi Iſraëlitici Deus. Quæ indicare ſufficit, ut ea explodantur tanquam impiæ nugæ; nec concedent Adverſarii naturam fuiſſe ſolorum Hebræorum Deum. Sed forſan excipient hæc, quæ a *Moſe* referuntur de *Jehova*, eſſe imaginaria, vel pias fraudes, quibus commentis populi Iſraëlitici reverentiam & obſequium conciliare voluit. Illas autem calumnias ſæpiùs retudimus. Nec ullus, niſi inſanus, unquam vocavit *El Deum omnipotentem*, *El-shaddai Deum ſibi ſufficientem omnique numero perfectum*, naturam, quæ multis vitiis & imperfectionibus laborat, utpote quæ ſenſu, vitâ, cogitatione, conſilio careat, quæque idcirco non omnia poſſit, nec omnimodam perfectionem poſſideat. Vel tandem dicent (ut ultimum Adverſariorum refugium indicem) *Moſis* ſcripta & autographa periiſſe, & *Pentateuchi* Scriptorem diverſum eſſe a *Moſe*; ut aſſerit *Spinoſa Tractatu Theologico-Politico*, & ex illo *Tractatu* affirmat *J. Tolandus Orig. Judaïc. paragr.* 15. Sed illos impios Cenſores remitto ad clariſſimum *Huetium Demonſtr. Evangel. Propoſ.* IV. *cap.* XIV. quo in loco argumenta *Spinoſæ* refellit, & authentiam & γνησιότητα librorum *Moſis* confirmat. Denique *J. Tolandus* loco mox memorato *paragr.* 15. vult ipſum Auctorem *Pentateuchi* fuiſſe Pantheïſtam; quod falſum eſſe liquet ex *Pentateuchi* locis in hoc capite citatis.

CAP.

Cap. V.

In quo regio Judæa defenditur.

I. Superiore capite nonnulla præmiſimus in defenſionem *Moſis*, quem Pantheïſtam, vel, ut recentiores Athei loqui amant, *Spinoſiſtam* fuiſſe, cum *Strabone* conſentit *J. Tolandus*; idque fecimus ſecuti ordinem noſtri Cenſoris animadverſionum, qui *Moſem* Atheïſmo amicum oſtendere voluit, priusquam totum *Strabonis* locum expenderet. Nunc locum ipſum & noſtri hominis animadverſiones & caſtigationes eo ordine, quo eas diſpoſuit, perſequemur & refellere conabimur. Primò *paragr.* 10. *pag.* 138. terræ Judææ ſterilitatem & miſerrimum ſtatum exprobrat, ejusque *Strabonicam* deſcriptionem, quæ habetur *paragr.* 7. *pag.* 125. approbat, imò probare ſtudet teſtimonio viatorum & in illas oras peregrinantium. Deinde loca *Pentateuchi*, quæ Judææ fertilitatem & bonitatem decantant, detorquet vel confutat. Tandemque concludit loca Scripturæ ſacræ, nominatim *Exod.* III: 8. 17. in quibus laudatur terra Canaan, explicari debere ex *Strabonis* deſcriptione, rejectis aliis teſtibus, imprimis *Ariſtæo*, *Hecatæo*, quos vocat fabulatores. Sed primò terræ Judææ feracitatem probabimus, deinde *J. Tolandi* vanas conjecturas & caſtigationes refutabimus. Feracitas & præſtantia terræ Judææ probari poteſt 1. Ex Scriptoribus ſacris. 2. Ex Auctoribus exoticis. 3. Ex Viatoribus & in illa loca peregrinantibus.

II. Nam primò *Exod.* III: 8. 17. terra Canaan,

naan, quæ deinceps Judæa dicta eſt, vocatur *bona*, *& melle lacteque fluens*, hoc eſt, omnibus ad vitam & voluptatem neceſſariis abundans. Ibidemque & aliis in locis comparatur, imò opponitur Ægypto, ex qua ſuum populum in aliam bonam terram traducturus erat Deus. Ægyptus autem ſemper exiſtimata eſt ex optimis & feraciſſimis ſolis. Et ut expreſſiùs laudetur illius ſoli feracitas, illiusque regionis amœnitas, pluribus in locis deſcribuntur terræ Canaan fruges, ut nuces, amygdala, balſamum, myrrha, mel, aromata *Geneſ.* XLIII: 11. illosque fructus dono miſit ad Regem Ægypti Patriarcha *Jacobus* tempore, quo Canaan nondum probè habitata & culta erat, & tempore famis, ut inde pateat terram Canaan illa bona & commoditates abundè protuliſſe. Et agrum, qui centuplum reddidit, (ut refertur de ſolo Gerar in Palæſtina *Geneſ.* XXVI: 12.) eum feraciſſimum eſſe neceſſe eſt. Præterea laudatur ut regio irrigua: nam Canaan a *Moſe* dicitur *Deut.* VIII: 7. 8. 9. *terra rivulorum aquæ*, *fontium*, *& ſcaturiginum*, *quæ ex vallibus & collibus exibant*, ut & omnibus frugibus & vitæ commodis abundans, nam eſt *terra frumenti*, *hordei*, *vinearum*, *ficuum*, *pomorum granatarum*, *olearum*, *mellis*; *terra in qua comeſurus erat ſuum panem ſine penuria*, *& in qua nulla re indigebit*; *cujus lapides ſunt ferrum*, *& ex cujus collibus eruere poterit æs*. *Moſi* autem concinunt exploratores, qui totam regionem peragrarunt & inſpexerunt tempore æſtivo: ipſi enim Canaan vocant *terram melle & lacte fluentem Numer.* XIII: 26. & *Numer.* XIV: 7. 8. eam *præſtantiſſimam* decantant; cujus in rei memoriam & demonſtrationem inde attulerunt racemum portentoſæ magnitudinis, ut & poma gra-

nata & ficûs. Tempore *Davidis* 2. *Sam.* XXIV: 2. idem fuit ſtatus & ſplendor Judææ: terra enim, quæ *myriadem & triginta millia hominum armá geſtantium*, præter Sacerdotes, Levitas, fœminas, & infantes, alere potuit, eam almam & uberrimam matrem fuiſſe neceſſe eſt. Sub *Ezechia* Rex Aſſyriæ Judæam vocat *terram frumenti & vini*, *terram panis & vinetorum*, nec obſcure indicat ſe eam comparare ipſi Aſſyriæ aut alteri regni Aſſyriorum fertiliſſimo ſolo *Eſai.* XXXVI: 17. Et ab *Ezechiele* XX: 6. laudatur ut *gloria omnium terrarum*, vel *laus reliquarum regionum.* Plura ſpecialiora addere poſſem in laudem ſoli, fructuum, aromatum, metallorum, mineralium, volatilium, quadrupedum, aliorumque quæ in victum aut uſum incolarum cedunt; niſi, quæ hucusque ex ſacra Scriptura attulimus, abundè ſufficere exiſtimarem.

III. Sed hîc ſubjungam nonnullorum Scriptorum teſtimonia. *Strabo* enim, quem ſterilitatis & penuriæ Judææ teſtem adhibet *J. Tolandus*, in *lib.* XVI. ſuæ *Geographiæ*, in quo tradit, eum locum, quem *Moſes* ejusque aſſeclæ primò occuparunt, *non eſſe invidiæ obnoxium*, *nec de quo ambitioſè contenderetur*, *quia ſaxoſus & petroſus*, *& in ambitu ſiccus & ſquallidus*; ipſemet ibidem ſubjungit, illam regionem eſſe ἔνυδρον, ſeu *irriguam*; quæ commoditas quantum ad fertilitatem ſoli conducat, omnes norunt. Inferiùs eodem *libro* refert, onera ſcilicet mercium & commoditatum navibus impoſita per Jordanem deferri in Judæam & diſtribui, τὸν Ἰορδάνον, inquit ille, ἀνάπλεισι φορτίοις. Imò fatetur de regione Trachonitide, quæ maximè ſaxoſa & petroſa eſt, ibidem occurrere ὄρη γεώλοφα καὶ παλλίκαρπα, ſeu *montes pingues & frugiferos.* Vina Gazetica &

Sareptana

Sareptana ut optima & generoſiſſima laudantur a Poëta *Sidonio* hoc diſticho:

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptano palmite miſſa bibas.

Plinius Natur. Hiſt. lib. XII. *cap.* XXV. commendat *balſamum* Canaan, *quod uni terrarum Judææ conceſſum* tradit. Huic concinit *Galenus de Antid. lib.* II. *cap.* XIII. Denique (ut alios taceam) *Tacitus Hiſt. lib.* V. ſub initio refert Judææ ſolum eſſe pingue & uberum, omnibusque deliciis & commoditatibus diffluens. Quid dicam de *Euſebio* & *Hieronymo*, quorum alter Epiſcopus fuit Cæſareæ Palæſtinæ urbis, alter diu in Judæa verſatus eſt: at uterque in ſua illorum locorum *Chorographia*, a *Bonfrerio* edita, & a doctiſſimo *Clerico* recognita & notis non contemnendis illuſtrata, ubique laudat Judææ amœnitatem & fertilitatem, His adde *Brocardum* Monachum, qui illa loca perluſtravit: in ſua autem *Terræ Sanctæ Deſcriptione* commendat & deſcribit agrum Hieroſolymitanum ut *fertilem & bonum cap.* VIII. & *cap.* XI. hæc referre non dubitat de Palæſtina: *Eſt ſolum ipſum frumenti feraciſſimum, quippe quod in cultura ſua minimum laborem exigit, & multum reddit fructum: nam id ſæpè oculis meis vidi, duobus tantùm bobus aratrum inverti: nec agros ſtercore opus habere, quum ſuapte naturâ terra ipſa pinguis ſit, & in plerisque locis hoc externo minimè egeat condimento.* Huic concinit *Georgius Sandys* Anglus, qui eò peregrinatus eſt. Licèt fatendum ſit, multò deteriorem factam eſſe illius regionis faciem, quæ tot & tantas clades & devaſtationes continuò paſſa eſt.

IV. Itaque ſatis mirari non poſſum injuſtitiam aut inſcitiam noſtri Cenſoris, qui *ex hodierno*

Judææ

Judææ ſitu & ſtatu primævum & antiquum concludit: nemo enim neſcit regiones in dies faciem mutare, & ut ſolitudo fit aliquando hortus amœnus, ſic ſæpiùs terram fertiliſſimam in ſterile deſertum convertit Deus ob peccata incolarum; prout obtigit Judææ, quæ hodie eſt iræ divinæ triſte ſpectaculum, licèt antiquæ fertilitatis & divinæ benedictionis veſtigia in plerisque locis adhuc appareant & remanſerint. Ex locis autem *Strabonis* & *Exod.* III: 8. a *J. Tolando* adductis & ventilatis ſatis liquidò patet hîc non agi de hodierno, ſed priſco Judææ ſtatu, qui ex nullo meliùs & certiùs ſciri & accipi poteſt, quàm ex ipſis indigenis, aut ex coætaneis Scriptoribus, qui illa loca perluſtrarunt, aut ibidem vixerunt, dum regna & ſplendor Judææ manebant. Ubi iterum tantam ignorationem aut malitiam prodit noſter Cenſor, quippe qui uni Scriptori peregrino (qui an in Judæa fuerit, incertum eſt) credere malit, quàm omnibus Judæis incolis & *αὐτόπταις*. Multò minùs Auctoribus exoticis fidendum eſt, quando de rebus Judæorum agunt, utpote qui invdiâ & odio flagrabant in hanc gentem ejusque mores & religionem, & qui multa probroſa in eos commenti ſunt, prout *J. Tolandus paragr.* II.. exemplo *Taciti* probat, ut & *Joſephus* in *libro contra Grammaticum Appionem*. Præterea *Strabo* vixit *Auguſti* ævo, eo ſcilicet tempore, quo Judæa & res Judæorum deteriorem ſortem ſubierant, & infinita damna acceperant, primò a Babyloniis, deinde a Syriæ Regibus, tandem a Romanis, & præſertim a ſe-d. nibus & bellis inteſtinis. *Moſes* verò & Prophetæ inferiores coævi fuerunt Judææ gloriæ & Judæorum ſplendori. Denique *Strabo* hoc in loco, de quo agitur, plura falſa veris miſcet:

Moſes

Moſes enim nunquam obtinuit locum, ubi nunc eſt templum Hieroſolymitanum, nec ſuos aſſeclas eò deduxit, ſed Joſhua. Pariter *Joſhua illum locum facilè non obtinuit*; manu enim armatâ Canaan intravit, indeque populoſiſſimas & bellicoſiſſimas gentes expulit, quæ ei diu obſtiterunt, nec eas penitùs delere unquam potuerunt hujus Imperatoris Iſraëlitici ſucceſſores. Nec omittere debemus, præfrictam frontem præ ſe ferre *J. Tolandum*, qui nullo exemplo adducto affirmare audet *paragr.* 10. *Strabonicam Judææ deſcriptionem cum hodierno ſitu & ſoli ſtatu, ab omnibus* (ſine exceptione) *juxta peregrinantibus obſervatis, optimè concordare.* Hoc enim ipſo capite plura teſtimonia Viatorum & eò peregrinantium fide dignorum a *Strabone* diſſentientium attulimus. Sed ſuam impietatem prodit noſter Cenſor, quando *Strabonem Moſi* aliiſque Dei Prophetis anteponit, & quum vult locum *Exod.* III: 8. ut & alia *Pentateuchi* loca, quæ Judææ bonitatem & fertilitatem deprædicant, ex *Strabonis* narratione explicanda & corrigenda eſſe; præſertim, quum ibidem aſſerit, illam bonitatem & frugum feracitatem, quam loca *Pentateuchi* Judææ tribuunt, vel figuratè accipiendam, vel comparatè ad deſertum intelligendam, vel loco prudentiæ habendam eſſe. Huic autem impiæ ſugillationi reſpondeo primò; horum *Pentateuchi* locorum ſenſum proprium & litteralem eſſe ſimpliciorem, commodiorem, & rei præſenti convenientiorem; quo in caſu ſenſus figuratus, multò minùs hyperbolicus intelligi debet, qui admittitur ſolummodò, quando verba aliter interpretari nequeunt, & a littera neceſſariò recedendum eſt. Sed res aliter ſe habet in his *Pentateuchi* locis: quid enim ſimplicius & magis pro-

proprium dici poteſt iſtâ locutione, *terra Canaan eſt bona terra*; licèt autem *fluere lacte & melle* ſit figuratum quid, tamen ſecundum noſtri Cenſoris interpretationem *paragr.* mox memorato nil aliud ſignificat præter *rerum omnium neceſſariarum copiam*. Pariter, quid Hiſtoriæ ſtylo magis conſonum, quàm ea Canaan deſcriptio a *Moſe* ad Iſraëlem prolata *Deuter.* VIII: 7. 8. 9. terra promiſſa eſt *terra rivulorum aquæ, fontium, & ſcaturiginum: terra frumenti, vini, olearum, ficuum, mellis, balſami*. Quæ & ſimilia ſi figuratè & hyperbolicè accipienda ſunt, tum qui illum ſenſum uſurpat, non agit Hiſtoricum, ſed Rhetorem; nec nudam veritatem narrat, ſed orationem fucatam exornat; non eſt Geographus, ſed Poëta, quam perſonam nullomodo gerit, nec gerere poteſt hoc in loco *Moſes*; utpote qui terram, ad cujus confinia & conſpectum perventum erat, ad conventum Iſraëlis deſcribit, quique facilè falſi convinci poſſet ab exploratoribus aliiſque Iſraëlitis, ſi ea hyperbolicè dixiſſet in laudem Canaan. Præterea, Deus, vel *Moſes* ejus ſervus, hæc verba habuit ad populum Iſraëliticum, non in deſerto, (ut a *J. Tolando* ibidem ſupponitur) ſed vel in Ægypto *Exod.* III. & IV. *capp.* vel ad Jordanem trajecto deſerto *Deut.* VIII: 7. 8. Idcircò Judaæ bonitas & fertilitas in his *Pentateuchi* locis expreſſa non poteſt intelligi comparatè ad deſertum & ad illa loca avia & ſicca, quæ vel nondum viderat, vel jam ſuperaverat populus Iſraëliticus. Pari ratione iis locutionibus non poterat addi calcar & animus occupaturis, ſiquidem Canaan confinia & adſpectum pertigerant, tumque in amœniſſimis Moab campeſtribus erant. His adde, nullam a *Moſe* fieri mentionem illorum

aviorum

aviorum & deviorum locorum, *quorum reſpectu Paradiſus certè dici potuit Judæa*; interim naturam ſoli & faciem terræ Canaan probè noverant ipſi Iſraëlitæ, vel a patribus, vel a fama, vel ab exploratoribus edocti, ita ut tali calcari ipſis non opus erat. Sed *hoc prudentiſſimè factum*, inquit noſter ſagaciſſimus Politicus; vel, ut ejus mentem clariùs exprimam, ſignificat dolum & ſtratagema, quo uſus eſt *Moſes* ad animandum ſuum exercitum per triſtia loca errantem. Ego autem reſpondeo dolos & pias fraudes maxima eſſe adjutamenta & ſubſidia *J. Tolando* ejusque ſimilibus ad nodos difficiliores ſecandos, & ad cauſas rerum aut factorum ſine labore explicandas: vereor, ne iſti Pantheïſtæ alios homines ad ſuam libram redigant. Deinde (ut mox dixi) cui uſui, cui bono illud calcar iis qui labores ſuperarant, quando *Moſes* apud eos laudat terram promiſſam *Deuteronom.* I: I. 5. Tandem ut hunc locum claudam, an iisdem locutionibus hyperbolicis, an eodem calcari indigebant Iſraëlitæ, quum jamdiu occupaverant Judæam? An eodem dolo & ſtratagemate opus habebant alii Prophetæ, ut *Samuel*, *David*, *Eſajas*, *Ezechiel*, qui (ut ſuperiùs notavimus) terræ Canaan eadem elogia tribuunt, quibus eam exornat *Moſes* in locis *Pentateuchi* mox memoratis.

CAP.

Cap. VI.

In quo defenditur origo gentis Judaïcæ.

I. A regione tranſeo ad originem Judæorum, quos hàc in parte etiam vexat & exprobrat *Joh. Tolandus*: nam *Origin. Judaïc.* ſub finem *paragr.* 13. hæc habet, quæ totius argumenti ſummam continent: *Judæos ergo & ab Ægyptiis fuiſſe prognatos, & mixtæ nihilominus fuiſſe originis, veriſſimè retulit Strabo.* Hujus Scriptoris verba a *J. Tolando* Latinè reddita ab initio *paragr.* 7. ſic ſonant: *Cùm mixtæ ſint originis, (qui Galilæam ſcilicet, Hierichuntem, Philadelphiam, & Samariam incolunt) fama, quæ maximè invaluit circa res de Templo Hieroſolymitano creditas, perhibet eos, qui nunc Judæi appellantur, ab Ægyptiis fuiſſe prognatos.*

II. Sed in anteceſſum *paragr.* 11. multa falſa & odioſa, quæ Scriptores exotici, nominatim *Tacitus lib.* v. *Hiſtor. Juſtinus, Helladius*, aliique excogitarunt & venditarunt de Judæorum origine ex Creta, aut ex Æthiopia, aut de Ducibus *Juda* & *Hieroſolymo*, de urbis Hieroſolymitanæ nomine facto ex Solymis Homericis, & de ſcabie, lepra, ac impetigine, quibus morbis affecta eſſet illa hominum colluvies: ea & ſimilia, ut fabulas & calumnias in Judæorum probrum ſparſas, rejicit & refellit *J. Tolandus*. Hac autem in parte noſtro Cenſori libenter concino; unum tamen aut alterum hîc loci ſubjiciam: hoſtes enim Judæorum his & ſimilibus opprobriis gentem illam adſpergendi occaſionem arripue-

runt ab illis plagis, nominatim ab illis puſtulis & ulceribus, quibus ſui populi cauſâ Ægyptios afflixit Deus: deinceps Ægyptii, ex odio & invidia & ad illam infamiam deteſtandam, illos putidos morbos, quibus ipſimet afflicti fuerant, in Hebræos verterunt. Alii autem populi ab Ægyptiis decepti Judæos iisdem probris adſperſerunt; unde factum eſt, ut plures Scriptores Græci & Latini, ut *Diodorus Siculus*, *Appion*, *Trogus Pompejus*, *Tacitus* &c. falſò tradiderint, Judæos ſcabie, leprâ, & impetigine tactos ex Ægypto pulſos eſſe, ne eorum morbis inficerentur Ægyptii. Ex iisdem impuris fontibus hauſit noſter Cenſor alia convitia, quibus Judæos inferiùs proſcindit: licèt enim (ut hoc unum addam) prædictas calumnias a Judæis removere videatur, tamen eos honeſtiùs non tractat; utpote qui mox eos dicet *colluviem hominum*, ſi non ſcabioſam & leproſam, ſaltem *ſervilem & ſeditioſam*.

III. Sed pergo ad *Origin. Judaic. paragr.* 12. ubi Judæos veros Ægyptios eſſe & Ægyptiorum progeniem oſtendere conatur *J. Tolandus*. 1. Ex utriusque regionis & gentis vicinia. 2. Quia *Moſes* in Madian profugus ſtatim dignoſcitur pro Ægyptio. 3. Ex privilegiis, quibus Ægyptii præ aliis gentibus apud Judæos gaudebant. 4. Ex idolis Ægyptiorum, quæ Judæi coluerunt. 5. Ex ordine & modo, quo ex Ægypto exceſſerunt Judæi. Iſtud commentum de origine Judæorum ex Ægypto, & ratiunculas, quibus id adſtruere ſtudet *J. Tolandus*, primò breviter diluam; deinde paucis monſtrabo eos eſſe progeniem *Abrahami*. Primò enim, ſi Judæi Ægyptiorum progenies cenſeri debuerint, quia Ægypto vicina erat Judæa, & nonniſi paucorum dierum itinere

a ſe

a ſe invicem diſtabant; nec ii culpandi ſint, qui Judæos pro veris Ægyptiis acceperunt, prout ex *Strabone* confirmat *J. Tolandus*; tum meliori jure cenſendi forent Amalekitæ, aut Ammonitæ, ſive Moabitæ, ſive Tyrii, aut Sidonii, quia his populis viciniores erant Judæi quàm Ægyptiis. Indidemque confici & colligi poſſet Ægyptios a Judæis æquè ac Judæos ab Ægyptiis fuiſſe prognatos: vicinia enim non confert jus paternitatis & procreationis uni genti potiùs quàm alteri, ex. gr. Ægyptiis citiùs quàm Judæis; nec unquam audivi populorum cognationem & gentilitatem peti a mutua locorum vicinia. Aliàs innumeræ gentes, quæ reverà diverſæ ſunt, pro uno eodemque populo habendæ eſſent, ſicque confunderentur Belgæ Gallis aut Germanis: illorum enim regio ne duorum dierum itinere diſtat ab horum confiniis; præſertim quia remotiſſimæ a ſe invicem gentes ſæpè cognatæ ſunt, maximè verò vicinæ e contrario: ut Lacedæmonii longâ terrarum intercapedine a Judæis diſſiti, agnoſcunt ſe eſſe *eorum fratres & de genere Abrahami* 1. *Macchab.* XII: 21. Econtrà nulla intercedit conſanguinitas inter Germanos & Hungaros, licèt confines ſint. Cognatio verò gentium multò certiùs petitur a linguæ, morum, religionis affinitate, vel ex gentium, quæ cognationem profitentur, primævis & indubitatis commentariis, quibus in rebus Judæi cum Ægyptiis non concordant, nec unquam concordarunt. Attamen non diffitemur, *Moſem* (ut gentis Hebræorum quatuor generationes taceam) in Ægypto natum & educatum eſſe, imò inter Ægyptios & in ipſa aula regia vixiſſe, quibus in locis & conſortiis linguam, mores, habitum gentis addidicit, veſtemque & colorem ſole aduſtum ſervavit;

 unde

unde non mirum videri debet, ſi pro Ægyptio ſtatim agnitus eſt in terra Midianitarum, quò confugerat. Nec inde ſequitur ipſum *Moſem*, multò minùs alios Hebræos fuiſſe ab Ægyptiis prognatos, vel utramque gentem ejusdem eſſe ſtirpis & originis.

IV. Iterum perperam colligit noſter Criticus Judæos eſſe ab Ægyptiis prognatos, quia in Republica Hebræorum Ægyptii præ reliquis gentibus gaudebant privilegiis, nominatim jure intrandi in congregationem Domini, quod *J. Tolandus* interpretatur de jure civitatis & ſuffragii in tertia generatione, dum Ammonitæ & Moabitæ, ſpurii inſuper & Eunuchi usque in decimam generationem ab illo jure excludebantur; quod ut probet adducit locum *Deuteronom.* XXIII: 2. 3. 8. Primò miror, ubinam *J. Tolandus* deprehenderit jus intrandi in congregationem Domini fuiſſe jus civitatis & ſuffragii apud Hebræos. *Maimonides* aliique Hebræi in hunc locum id interpretantur de jure connubii in populo Dei; quæ quia non ſunt hujus loci, acriter diſputare nolo. Sed multò magis miror noſtri Critici ſagacitatem & induſtriam, qui in loco *Deuteronom.* mox memorato invenerit Judæorum originem ab Ægyptiis; primò enim, ſi Judæi Ægyptiorum patres & majores fuiſſent, illud jus connubii, vel civitatis in ſua Republica ſuæ proſapiæ libenter, imò libentiùs conceſſiſſent, quàm ſi ipſimet Ægyptiorum fuiſſent progenies: parentes enim majore amore flagrant erga poſteros, quàm poſteri erga parentes. Sic coloni Angli & Belgæ in Indiis & aliis locis, quæ ſuo imperio parent, iisdem immunitatibus gaudent & ipſi & eorum poſteri in Anglia & Belgio, quibus ipſi Angliæ aut Belgii incolæ fruuntur.

tur. Præterea jus intrandi in congregationem Domini, vel, juxta interpretationem *J. Tolandi*, jus civitatis & ſuffragii in Republica Hebræorum Idumæis conceſſum fuit æquè ac Ægyptiis; unde pari jure ſequeretur Judæos eſſe ab Idumæis prognatos æquè ac ab Ægyptiis. Imò (ut id tertiò addam) meliori jure concluderetur: nam cognatio Judæorum cum Idumæis, vel filiorum *Jacobi* cum filiis *Eſavi* fuit cauſa, cur horum nepotes admitterentur ad congregationem Domini in tertia generatione, dum Ammonitæ & Moabitæ usque in decimam, vel, ut alii interpretantur, in ſempiternum ab illo jure arcebantur. Quoad verò Ægyptios attinet, contraria ratio datur petita ex eo quòd Hebræi advenæ & peregrini fuerant in eorum terra. Lex ſic jubet *Deuter.* XXIII: 7. 8. *Tu non abominaberis Idumæum, eſt enim tuus frater; tu non abominaberis Ægyptium, quia fuiſti peregrinus in ejus regione; liberi ab ipſis geniti intrabunt in congregationem Domini in tertia generatione.* Deus præcepit, ut duo hi populi leviùs tractarentur quàm alii populi incircumciſi, quia alter erat Judæorum cognatus, alter verò fuerat eorum herus; ut ſcilicet ſuus populus memor eſſet ſui ſanguinis ab una parte & ab altera conditionis peregrini & ſervi. Si autem Judæi ab Ægyptiis prognati fuiſſent, procul dubio id non prætermiſiſſet Lex, utpote quæ ibidem meminerit conſanguinitatis Judæorum & Idumæorum. Itaque tantum abeſt, ut hic locus *Deuteronomii* probet ortum Hebræorum ab Ægyptiis, quòd potiùs contrarium inde concludi debeat.

V. Sed adhuc futilius eſt argumentum, quod noſter Cenſor petit ab idolis, quæ Judæi in Ægypto coluerunt. Primò concedo Judæos (vel

potiùs Hebræos) idololatras fuiſſe in Ægypto. Sed quid inde? Ipſi etiam fuerunt idolorum cultores trans Euphratem & in Canaan, (nam *Geneſ.* xxxv: 2. *Jacobus* Patriarcha jubet familiam removere omnes Deos alienos, qui in medio eorum erant) antequam in Ægyptum veniſſent. Unde colligendum eſſet fuiſſe Aſſyrios aut Cananæos citiùs quàm ab Ægyptiis prognatos;quippe qui priorum gentium idola coluerunt, priusquàm in Ægypto fuiſſent. Præterea ne unum illorum idolorum, quæ venerati ſunt, ne ullam illarum religionum, quas Judæi coluerunt in Ægypto, an *Apim*, an *Serapim*, an *Iſidem*, an *Oſiridem*, an aliud idolum, an aliam religionem ſectati ſunt Hebræi in Ægypto, memorare audet noſter homo. Cave etiam, ne credas Judæos in Ægypto uſos fuiſſe promiſcuis loci religionibus, ut gratis aſſerit *J. Tolandus paragr.* 13. *pag.* 143. licèt enim vel ex metu, vel ex obſequio erga ſuos heros aut concives, ſive ex proclivitate in idololatriam, Ægyptiorum religioni aliquatenus ſeſe conformarint Hebræi, vix tamen crediderim (nec id conſtat ex Scriptura ſacra) quaslibet abſurdiſſimas religiones, & maximè abominandas ſuperſtitiones, eos adoptaſſe & coluiſſe, præſertim cùm ſeorſim ab Ægyptiis habitabant & vivebant Hebræi. Nec videre poſſum in loco *Jos.* xxiv: 14. 15. a noſtro homine huc adductо, *a reliquis Ægyptiis diſſentientem de numine ſententiam inculcatam*, (*nempe a Josua*) *ſed malè radicatam adhuc*, *nec imis receptam ſenſibus* (Hebræorum ſcilicet): hoc enim in loco *Josua* in genere damnat Deos factitios majorum gentis Hebræorum, tum trans-Euphratenſes, tum Ægyptios, iisque præcipit cultum *Jehovæ*, abdicatis aliis falſis numinibus, ſive

ve Aſſyriorum, ſive Ægyptiorum, ſin verò Emoræorum: nec populo Iſraëlitico inculcabat ſententiam de numine magis *diſſentientem a reliquis Ægyptiis*, quàm a reliquis Aſſyriis aut a reliquis Cananæis, ſiquidem ab omnibus illis populis ſine diſcrimine diſſentit Imperatoris Iſraëlitici ſententia & ſermò de numine.

VI. Nec quia Hebræi *ordine militari proceſſerunt ex Ægypto, cùm alter eos a tergo inſequeretur exercitus, ideo ſtatim credere debebant populi finitimi, ſeditionem aliquam in Ægypto exortam, ac bellum exarſiſſe civile*; prout noſter Cenſor concludit ſub finem *paragr.* 12. illis enim populis finitimis tam proclive erat credere, Judæos Ægyptum tum reliquiſſe, vel ad novas ſedes quærendas, idque citiùs, quia illis primitivis temporibus non rarò fiebant tales migrationes novæque coloniæ; vel ut ab Ægyptiorum tyrannide & vexatione ſeſe liberarent; vel quia ab ipſis Ægyptiis dimiſſi & ejecti erant. Alter verò exercitus, qui Hebræos ex Ægypto exeuntes a tergo ſequebatur, a *Pharaone* adhiberi poterat, illis extra ſui regni confinia deducendis, & a reditu in regnum arcendis. Quidquid ſit, veritas hiſtoriæ non fundatur apparentia & veriſimilitudine, ſed ſolummodò rebus geſtis, quas indagari & ſciſcitari tenebantur illi populi finitimi, priusquàm judicaſſent gentem Hebræorum in Ægypto *ſeditionem ac bellum civile* civiſſe, ſi ſaltem talia de Judæis unquam crediderint finitimi: nam hæ ſunt meræ *J. Tolandi* conjecturæ, qui nullo teſte adducto hæc gratis aſſerit. Denique, cauſæ Hebræorum exitus ex Ægypto, & *Pharaonis* eos exeuntes a tergo inſequentis referuntur in *Exodo*, nominatim XII. & XIV. *capp.* cujus ſcripti auctoritas apud *J. Tolandum* (ſi ſaltem

Chriſtianus foret, vel ſi veritatem ex animo quæreret) plus valere debebat, quàm populorum Ægypto finitimorum præjudicata opinio. Concludamus igitur hæc & ſimilia indicia a *Joh. Tolando Orig. Judaïc. paragr.* 12. notata, nullomodo indicare Judæos ab Ægyptiis eſſe prognatos, nec iis cæteras gentes induci debuiſſe ad Judæos pro Ægyptiis habendos, cùm tales conjecturæ contrarientur illius gentis Hiſtoriæ ab oculatis teſtibus traditæ, cujus veritas & certitudo ne minimum quidem dubitari poteſt, niſi omnis Hiſtoriæ authentia penitùs convellatur.

VII. Nec magis firma & rationi conſentanea ſunt, quæ de Judæorum mixta origine & ſervili conditione ſubjungit *J. Tolandus Origin. Judaïc. paragr.* 13. quæ ut probet, duo aut tria ibidem affert. 1. Teſtimonium *Strabonis* aliorumque. 2. Leges de ſervis & peregrinis apud Hebræos. 3. Locum *Exod.* XII: 37. 38. Denique certamen inter *Pharaonem* & Iſraëlitas, quod bellum ſervile fuiſſe aſſerit. Sed hæc quàm futilia ſint, & quàm parùm ad rem ſuam faciant, mox conſtabit. Primò enim *Strabo* loquitur de Judæorum ſtatu ſuo ævo, quo Palæſtina a populis miſcellaneis incolebatur: ea autem extendi non debent ad primam gentis Hebræorum originem, aut ad illud tempus, quo in Ægypto fuerunt Iſraëlitæ, aut poſtquam terræ Canaan potiti ſunt. Nam ſecundò *Strabo* in loco, de quo agitur, non intelligit totam Judæam, aut univerſam decem Tribuum ditionem, ſed tantummodò memorat Galilæam, Hierichuntem, Samariam, Philadelphiam, quibus in partibus habitabat Gentilium miſcellanea turba, ut Phœnicum, Arabum, Ægyptiorum, necnon Idumæorum, Amalekitarum, Syrorum, &c. præſertim ab illo tempore,

quo

quo decem Tribus a *Salmanazare* Aſſyriorum Rege tranſportatæ ſunt & in earum locum ſucceſſerunt gentium Ethnicarum colluvies, quibus ſubinde ſe adjunxerunt alii Gentiles ex vicinis gentibus; unde hæc Judææ pars a Propheta *Eſaja* IX: 1. dicitur *Galilæa gentium*. Nec tamen cum *J. Tolando* ab initio *paragr.* 13. credendum eſt, omnes illos populos, qui mox dictas partes incolebant, fuiſſe *cognatæ linguæ & originis*: nam lingua Phœnicia (vel Hebraïca, quæ ad reliquam Phœniciam maximè accedit) Ægyptiæ minimè affinis eſt; prout diſcere eſt ex innumeris vocabulis poſterioris idiomatis, a *Kirkero* in *Oedipo Ægyptiaco* notatis, cum vocibus Hebræis collatis. Multò minùs cognatæ ſunt originis illi populi, quorum Arabes a *Jochtane* filio *Semi*, Phœnices aut Cananæi a *Canaane* ſecundo *Chami* filio, Ægyptii verò a *Mitzraim* uno ex ejusdem *Chami* filiis, vel potiùs ab ipſo *Chamo* ortum duxerunt; prout liquet ex *Geneſ.* x. quo capite traditur origo & diviſio gentium. Vide etiam incomparabilem *Bochartum*, qui in ſuo *Phaleg* hunc locum exhauſit. Niſi noſter Criticus id ſibi velit, illos ſcilicet populos fuiſſe *cognatæ originis*, quia omnes populi a *Noah* oriundi ſunt, vel illorum populorum *linguas eſſe cognatas*, quia omnes linguæ ab Hebræa manarunt, ut viri eruditi non pauci opinantur. Sed vix crediderim *J. Tolandum* Linguarum Orientalium limina adiiſſe, multò minùs puto illas partes ſtudiorum, quæ gentium linguas & origines ſpectant, ita inſpexiſſe, ut de mox dictorum populorum cognatione tanta cum temeritate ſtatuat. Quoad autem alteram terræ promiſſæ partem, quæ propriè Judæa dicta eſt, eo quòd regnum *Judæ* duasque Tribus, *Judam* & *Benjaminem*,

O 5 quarum

quarum prior longè maxima & præcipua erat, complectebatur, ea a tanta gentium colluvie non incolebatur: nam Judæi a captivitate Babylonica reverſi a gentibus reliquis ſe immixtos ſervarunt, & qui uxores Ethnicas duxerant, eas repudiare coacti ſunt, ut liquet ex *Nehemiæ* Libro.

VIII. Itaque ex Galilææ & Samariæ incolarum mixtura multifaria perperam concludit *J. Tolandus pag.* 146. *Judæos pariter mixtos fuiſſe*; quod ulteriùs probare conatur ex *legibus de ſervis & peregrinis*, præſertim ex iis legibus, *quæ tempus & modum præſcribunt, quibus peregrini civitate donandi, atque manumittendi & circumcidendi ſervi*. Fateor quidem nonnullos ex gentibus vicinis, ac ex ſervis & peregrinis, Eccleſiæ & Reipublicæ Judaïcæ ſubinde ſe adjunxiſſe; ſic ad Iſraëlitarum ingreſſum in terram promiſſam familia *Raab*, & Gabaonitæ, (qui deinceps *Nethinim* dicti ſunt ob ſervilia officia, quibus dediti ſunt) pluresque alios ſubſequentibus ſæculis religioni & genti Judæorum nomen dederunt, donec tempore *Herodis* Idumæi circumciſionem ſubeuntes cum Judæis coaluerunt. Sed nego inde effici poſſe, Judæos mixtos fuiſſe in terra Canaan: nam primò omnes illi peregrini & ſervi, qui in medio Judæorum habitabant, ad eorum caſtra non tranſibant; quia ex *Deuteronom.* XIII. conſtat, (ut ſuperiùs obſervatum fuit) Ammonitas & Moabitas ad congregationem & populum Dei nunquam admiſſos fuiſſe; Idumæos verò & Ægyptios tantùm ad tertiam generationem; quibus & ſimilibus legibus maxima pars ſervorum & peregrinorum ex gentibus vicinis a civitate Judæorum arcebantur, alii ſemper, alii verò tam diu, ut ad Judæorum numerum acceden-

cedendi paucis occaſio & tempus daretur. Præterea gentes vicinæ Judæos odio internecino perſequebantur, ac ab eorum religione, moribus, & legibus abhorrebant, & bellis continuis eos laceſſerunt; unde plusquàm probabile fit, paucos admodum cultui & civitati populi Iſraëlitici ſe adjungere voluiſſe. Sed demus, multò plures ſervos & peregrinos diverſis temporibus proſelytos factos fuiſſe, tamen inde non eſt colligendum, eos omnes pro Judæis acceptos & habitos fuiſſe; ſed a genuinis Judæis & filiis *Abrahami* diſtinctos & ſeparatos manſiſſe, ne confunderentur eorum genealogiæ, nec ſi ſervi & peregrini uxores Hebræas duxiſſent, ideo jure civitatis & ſuffragii donabantur; quia apud Hebræos nullum jus ab uxoribus ad viros devolvebatur. Quamvis autem omnes illi proſelyti in numerum Judæorum adſciti fuerint, nihilominus populoſiſſima gens ex iis paucis advenis aut ex eorum poſteris mixta fieri & dici non magis potuit quàm Ægyptiorum gens evaſit miſcellanea colluvies ex adventu *Jacobi* ejusque familiæ in Ægyptum. Tantum autem abeſt, ut leges de ſervis & peregrinis probent Judæos fuiſſe mixtos, dum eorum Reſpublica ſtabat, quòd potiùs eæ contrarium indicare videantur, ne ſcilicet exteris gentibus facilis pateret aditus ad cœtum & civitatem populi Dei, neve promiſcui aut ſine ullo diſcrimine, quicumque vellent, ad Rempublicam Hebræorum admitterentur; ſed ut discrimen poneretur inter genuinos Judæos & illos ſervos aut peregrinos proſelytos. Uno verbo, illæ leges non latæ ſunt, quia ex ſervis & peregrinis vel aucta vel augenda fuit Gens & Eccleſia Judaïca; ſed ut diſcriminarentur & ſegregarentur advenæ a filiis *Abrahami*: nam *Levit.*

xxv. 44. 45. 46. ſervi ex peregrinis dantur Judæis in poſſeſſionem & hæreditatem perpetuam, ut in ſempiternum iis ſerviant.

IX. Multò minùs mixti fuerunt Hebræi in Ægypto, licèt contrarium evincere conetur noſter Cenſor ex loco *Exod.* XII: 37. 38. ubi dicitur *mixta multitudo*, *illaque ingens cum Iſraëlitis ex Ægypto adſcendiſſe.* Sed primò reſpondeo. Iſta multitudo non fuit mixta ex ſervis & peregrinis, ſaltem id non occurrit in contextu, nec id neceſſariò ſignificat vox Hebræa ערב: potuit enim mixta eſſe ex turba hominum diverſi ordinis, diverſique ſexus & ætatis, quod magis probabile videtur, quia hoc in loco nulla fit mentio ſervorum aut advenarum; præterea diſerte diſtinguuntur filii *Iſraëlis* ab illa ingente & miſcellanea turba; nam primò procedunt Iſraëlitæ, deinde eos ſecuta eſt mixta multitudo; ita ut mixtura referatur ad multitudinem, non verò ad Hebræos, qui *Numer.* XI: 4. iterum ab illa promiſcua turba, quæ in medio eorum erat, diſertis verbis ſeparantur. Si autem filii *Iſraëlis* mixta gens fuiſſet ex colluvie ſervorum & peregrinorum in ipſa Ægypto, & ſi eorum multifaria mixtura indicaretur illâ promiſcuâ multitudine, quæ cum ipſis ex Ægypto adſcendit; profectò Scriptor ſacer Hebræos ab illis miſcellaneis hominibus nunquam diſtinxiſſet; ſed dixiſſet, filios *Iſraëlis*, qui erant mixta multitudo, ex Ægypto adſcendiſſe. Nam (ut ipſemet *J. Tolandus* inferiùs eodem *paragr.* 13. notat de Saxonibus & Normannis, qui Angli dicti ſunt, poſtquam in unam gentem coaluerint) pari ratione illi ſervi Ægyptii cum Hebræis coaliti & immixti, non ampliùs diſcriminandi eſſent a filiis *Iſraëlis*, quibuscum una eademque gens facti fuerant. Nec ex loco

loco *Exodi* conſtat, illam miſcellaneam turbam cum filiis *Iſraëlis* ex Ægypto ideo adſcendiſſe, quia *addicta fuit eorum fortunæ aut cultui*: ſed magis probabile eſt, illam multitudinem Ægyptum reliquiſſe ex metu mortis & iræ divinæ, quæ in eos ardebat: nam *verſ.* 33. Ægyptii ex ſuorum primogenitorum ſtrage ita conterriti erant, ut exclamarint, *nos ſumus omnes mortui*; cùmque a potiori & majori parte fieri ſoleat denominatio, tum profectò filii *Iſraëlis* in Ægypto nomine gentili amiſſo, aliud ſortiti fuiſſent ab illis promiſcuis ſervis, quibuscum jamdiu immixti & coaliti fuerant ſecundum *J. Tolandum*; contrarium verò a Scriptore ſacro innuitur; ut inde pateat, locum *Exodi*, a noſtro homine citatum, ad rem, quam probare vult, nullomodo facere, ſed potiùs ipſi adverſari.

X. Denique *certamen inter Pharaonem & Iſraëlitas non fuit bellum ſervile*, ut eodem *paragr.* ſine ambage affirmat *J. Tolandus*. 1. Enim Hebræi non fuerunt Ægyptiorum ſervi, ſaltem voluntarii, ſed inviti, nec mercenarii, ſed ſervituti collum præbere coacti ſunt ab Ægyptiis: eorum enim ſervitus *afflictio*, *oppreſſio*, *onus intolerabile*, *labor improbus*, quo eos vexarunt Ægyptii, dicitur; filiique *Iſraëlis* deſcribuntur gementes ſub oneribus ſuis, ad Deum clamantes, eumque auxilio vocantes; ipſemet Deus eorum clamorem, afflictionem, & crudeliſſimam ſervitutem reſpexiſſe dicitur, prout patet ex 1. & 11. *capp. Exod.* Quæ & ſimilia ſervis ſpontaneis aut mercenariis nullo modo conveniunt. Nec Iſraëlitæ Ægyptiorum ſervitia ſemper fuerunt, dum in Ægypto egerunt: nam *Exod.* 1. narrantur cauſæ ſervitutis, cui Iſraëlitas addixerunt Ægyptii, nempe eorum animus ingratus, politica, avaritia,

ritia, quippe qui *Joſephi* ejuſque beneficiorum erga ſuam gentem immemores fuerunt, quique Hebræos tam duriter habuerunt, ne augerentur, neque, bello exorto, hoſtibus ſe adjungerent, & ut ex ſuo improbo labore quæſtum facerent. His adde, ex *lib. Geneſ.* nominatim ex XLVI. & XLVII. *capp.* conſtare occaſionem, quâ Hebræi in Ægyptum venerunt, invitati ſcilicet a *Joſepho*; nec eos ut ſervitia tractavit *Pharao*, quippe qui eis eligendam obtulit quamlibet ſui regni plagam, quique ipſis rogantibus opimam & paſcuoſiſſimam Ægypti partem in domicilium conceſſit; & dum vixit Patriarcha *Joſephus*, ejus fratres ſervi Ægyptiorum non fuerunt, quos ſibi ſervos habuit ipſemet *Joſephus*. Sed nil falſius & iniquius eſt illâ accuſatione ſeditionis & belli, quam filiis *Iſraëlis* impingit noſter Cenſor: nam ne minimum quidem rebellionis indicium dederunt, ſed ſuas ærumnas conſtanti & patienti animo pertulerunt; gemunt quidem, clamant ad Deum, & unâ aut alterâ vice ex tædio & improbo labore, quibus animus obruebatur & conficiebatur, apud *Moſem* & *Aaronem* conqueruntur de auctis & gravioribus oneribus. Interim ſeditionis inſignia non tollunt, ad arma non confugiunt, neque ad aulam regiam concurrunt minitantes & murmurantes, nec inſurgunt in ſuos exactores inhumaniſſimos; nec bella movent in Regem ejuſque Miniſtros; ut inde liqueat Hebræos non certaviſſe in Ægypto cum *Pharaone*, niſi precibus, ſupplicationibus, gemitibus, lachrymis; donec Deus pro ſuo populo cum Tyranno illo immani certaverit judiciis ſuis. Si autem ex Ægypto exeuntes aurum, argentum, veſtes, aliaque ſupellectilia & bona ſecum tulerunt Iſraëlitæ, ea non diripuerunt, ſed ea mutuo & dono acceperunt

perunt ab Ægyptiis, qui ex gratia & benevolo affectu ſuos hoſpites facultatibus & divitiis cumularunt: deinde ex Ægypto trepidi, fugientes, onuſti, ſarcinati procedunt: & quando eos a tergo inſequebatur *Pharaonis* exercitus, eum non adoriuntur, nec ei reſiſtunt, neque vim vi repellunt; ſed cedunt, fugiunt, ad Deum & *Moſem* ejus ſervum conclamant. An in illa dura & ingraveſcente ſervitute ullum ſeditioſi & rebellis animi ſignum dederunt filii *Iſraëlis*? Ubinam igitur invenit noſter Criticus hanc hiſtoriam belli ſervilis, quod in Ægypto civerunt Hebræi? Quibusnam ex commentariis ea deprompſit, eaque contexuit? Non ex *Strabone*, qui ne γρῦ quidem habet de tali bello a *Moſe* ejuſque aſſeclis in Ægypto concitato, non ex alio Scriptore exotico, quantum novi. Sed affirmare non dubitat, *cuivis Pentateuchi libros ſedulò legenti ea facilè patere*. At ipſum rogare velim, quemnam *Pentateuchum* intelligat? quænam illius *Pentateuchi* pars illius belli ſervilis ab Iſraëlitis contra *Pharaonem* concitati meminerit? Indicet loca, ſi norit; ea explicet, ut ex ipſo audiamus & diſcamus tam novam & miram narrationem de Judæis in Ægypto agentibus: nam mox oſtendimus, quæcumque narrantur in *Pentateucho* de Hebræorum adventu in Ægyptum, deque illius gentis in hoc regno commoratione, & indidem exitu, ne minimam illius belli & certaminis ſervilis umbram præ ſe ferre.

XI. Sed, poſtquam *J. Tolandus* magno molimine probare laboraverit Judæos ab Ægyptiis eſſe prognatos, tandem incertus & fluctuans dat *Tacito lib.* v. *Hiſtor.* ſub initio, (*idque quia non abhorret a Pentateuchi relatione*) *Judæos Aſſyrios convenas fuiſſe, indigum agrorum populum, parte Ægypti*

Ægypti potitos ; ac mox proprias urbes, Hebræas terras, & propiora Syriæ coluiſſe. Si enim Judæi ex Aſſyria convenerunt in Ægyptum, & mox ex Ægypto ad proprias urbes & propiora Syriæ migrarunt; inde ſequitur ſecundum *Tacitum* Judæos non ab Ægyptiis, ſed ab Aſſyriis eſſe prognatos; quia origo gentis deſumitur ab illo loco, ex quo primùm venerunt, & a ſui conditoris prima ſede, quæ reſpectu Hebræorum fuit Aſſyria: *Abrahamus* enim hujus gentis conditor Ur Chaldæorum exceſſit *Geneſ.* XII: 1. deinde in Canaan venit, unde ſui poſteri in Ægyptum deſcenderunt, & ex Ægypto redierunt in Canaan ibidemque ſedem fixerunt, pulſis indigenis. Quæ quidem *Pentateucho* conſonant: *Taciti* verò narratio a *Pentateuchi* relatione non abhorret, in iis quidem quæ ad primam Judæorum originem ſpectant, quam ille Hiſtoricus Romanus ab Aſſyria repetit; cùm cætera ſint vel falſa, vel anachroniſmis conſperſa & confuſa. Itaque fermè dixerim, noſtrum hominem nunquam legiſſe, aut non intelligere *Pentateuchum*, vel hoc ſacrum volumen ad contraria & diſſimilia probanda eum torquere: mox enim dixerat, *cuivis Pentateuchi libros ſedulò legenti facile patere*, Judæos fuiſſe promiſcuam colluviem ſervitiorum Ægyptiorum, qui bella moverunt contra *Pharaonem*; nunc verò concedit, *id a Pentateuchi relatione non abhorrere*, quod *Tacitus* tradit de Judæis, *eos ſcilicet Aſſyrios fuiſſe convenas*, aut ab Aſſyria oriundos. An hæc ſibi conſtent, judicent Lectores? Denique miſerè argutatur noſter Cenſor, quando ſub finem *paragr.* 13. ſic confidenter concludit: *Plus tamen quadringentis annis in Ægypto habitarunt Judæi, quod ſufficit prorſùs ut pro veris habeantur Ægyptiis.* Sed nego conſequentiam:

tiam: dum enim in Ægypto egerunt Hebræi, ab Ægyptiis immixtos & ſegregatos ſeſe ſervarunt in Goſenitide, ubi eorum domicilia, familiæ, pecora, omniaque eorum bona ſimul collecta ſemper fuerunt & manſerunt, prout patet ex *libb. Geneſeos* & *Exodi*. Nam ipſi Ægyptii piaculare ducebant cibum ſumere cum Hebræis *Geneſ.* XLIII: 32. aut commercium ullum habere cum hominibus, quorum negotium paſtorale abominabatur Ægyptiorum gens *Geneſ.* XLVI: 34. Nec ex *Pentateucho* conſtat Ægyptios & Hebræos ulla conjugia & conſanguinitatem inter ſe invicem unquam contraxiſſe, cùm *Exod.* I: 19. in ipſa dura ſervitute, quæ perduravit ad eorum exitum ex Ægypto, mulieres Hebrææ diſtinguuntur a mulieribus Ægyptiis. Quod prorſus ſufficit ne *pro veris Ægyptiis habeantur Judæi:* adventu enim unius familiæ aut gentis in terram peregrinam, ibidemque commoratio aliquo temporis intervallo, non efficit, ut ea unquam habeatur pro indigenis, niſi in unam gentem cum ipſis coaleſcant, & religione, moribus, linguâ, legibus, ſanguine, & bonis permiſceantur. Econtrà liquet ex *Pentateucho* ne minimam quidem cognationem & mixturam iniiſſe Judæos cum Ægyptiis; aliàs Hebræi Cananæi fuiſſent priùs quàm Ægyptii, utpote qui inter Cananæos tamdiu egerunt, quamdiu in Ægypto, idque antequam ad Ægyptios veniſſent: conſtat enim ex *Pentateucho*, nominatim ex ultimis *Geneſeos* & *Exodi* primis capitibus, a *Jacobi* deſcenſu in Ægyptum uſque ad Hebræorum egreſſum ex Ægypto non multò plus ducentis annis fluxiſſe, qui additi illis plus quàm ducentis annis, quos Patriarchæ in terra Canaan tranſegerunt, conficiunt illos quadringentos & triginta annos, quibus impletis populus Iſraëli-

ticus Ægyptum reliquit *Exod.* XII: 40. juxta promiſſionem & prædictionem a Domino factam *Abrahamo Geneſ.* XV: 13. niſi velis illos quadringentos & triginta annos computare ab illa data promiſſione, ſive ab *Iſaaco* nato, ut aliis eruditis placet. Et longo pòſt tempore Judæi diu commorati ſunt in Babylonia, tamen nunquam habiti ſunt aut pro veris Cananæis, aut pro veris Babyloniis; quia ſcilicet mores, religionem, linguam, ſtemmata, ſanguinem ſine ulla mixtura cum peregrinis gentibus conſervarunt Judæi, ita ut longè poſt captivitatem Babylonicam & diſperſionem ſub regno *Ahaſſueri*, Perſarum Regis, Judæorum gens a cæteris gentibus Perſici Imperii diſtinguantur & ſeparentur quoad leges, religionem, nomen, mores, ſanguinem *Eſth.* III: 9. Nec quadrat exemplum Saxonum & Normannorum, quod huc affert *J. Tolandus*: nam primò Saxones, deinde Normanni Britanniam claſſe & armis invaſerunt, ibidemque rerum potiti ſunt, ac cum incolis in unam gentem, linguam, legemque coaluerunt, nec unquam inde migrarunt. Aliter res ſe habet de Hebræis, qui in Ægypto præter-propter ducentos annos egerunt, quique primò amici venerunt ad Ægyptios, deinde ſervi ipſis facti ſunt; nunquam verò eorum hoſtes aut cognati fuerunt, ſed ab indigenis ſeorſim & immixti remanſerunt, donec inde migraverint cum omnibus ſuis familiis & facultatibus. Ut autem ingenuè dicam quod de hac diſputatione mihi videtur, non puto noſtrum hominem quidquam certi & clari concluſiſſe circa Judæorum originem & conditionem, ſed in 12. & 13. *paragraphis*, ubi hæc diſputat, omnia mirum in modum confundere & ſecum continuò pugnare: nam aliquando aſſerit, Ju-

dæos ab Ægyptiis eſſe prognatos, deinde non diffitetur eos eſſe potuiſſe Aſſyrios convenas: in uno loco vult Judæos fuiſſe Ægyptiorum ſervitia; mox addit, Ægyptiorum ſervitia eſſe promiſcuam ex omnibus populis finitimis colluviem. Quid hoc eſt quàm ſibi contradicere? Quid quàm ſtatuere Judæos ſimul eſſe & Ægyptiorum progeniem, & in Ægypto advenas? Tanta eſt noſtri Critici induſtria, ut norit idem negare & affirmare: ipſe enim diſertis verbis diſtinguit heros a ſervitiis, & Ægyptios ab illa ſervili colluvie populorum finitimorum, qui ſi gentis Judæorum patres & conditores fuerint, tum inde ſequetur Judæos non eſſe prognatos ab Ægyptiis. Interim id unicè molitur & contendit noſter Cenſor, ut *Huetium* exprobret, utque *Pentateuchum* cum *Pentateucho* committat, & ejus auctoritas *Strabonis* teſtimonio cedat.

Cap. VII.

In quo oſtenditur vera & genuina gentis Judaïcæ proſapia.

I. Sed frivolis *J. Tolandi* conjecturis & malitioſis ſugillationibus circa Judæorum originem & conditionem repudiatis & confutatis, diu non eſt inſiſtendum in probanda hujus gentis vera & genuina proſapia. Sufficiet autem breviter indicare loca & argumenta, quæ oſtendunt eos eſſe ſemen *Abrahami*, vel filios *Jacobi* & duodecim Patriarcharum. Primò id colligere eſt ex eorum nominibus: nam dicuntur *Hebræi*, vel עברים, ab עבר, *Hebero*, (ut liquet ex *Geneſ.* x: 21.) *Semi* pronepote, a quo *Abrahamus* primus

vocatus eſt עברי *Hebræus Geneſ.* XIV: 13 utpote qui inter Cananæos profitebatur *Heberi* religionem, linguam, & ſtirpem; non verò quia fluvium Euphratem trajecerat in Canaan profectus, ut volunt nonnulli: nam plures fluvios præter Euphratem trajecit *Abrahamus*, antequam in Canaan veniret. Præterea id mihi videtur quid magis ſubtile quàm ſolidum, nomen gentile deducere a fluvii trajectione & ab Euphrate potiùs quàm ab alio flumine trajecto. Ergo ab *Hebero* & *Abrahamus* & Judæi ejus poſteri dicti ſunt *Hebræi*, quod nomen nullomodo convenit Ægyptiis: ii enim originem ducebant a *Chamo*, prout patet ex *Geneſ. cap.* x: 6. & ad ſui conditoris memoriam ſervandam apud ipſos claruit oraculum *Jovis Hamonis*; ut & ſecundum *Plutarchum lib. de Iſide & Oſiride* a peritiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus Ægyptus dicta eſt Χημία. Et *Pſalm.* LXXVIII: 51. appellatur *tabernacula Chami*, & *Pſalm.* CIII: 23. *terra Chami*, proculdubio a *Chamo*. Præſertim, quia *Geneſ.* XLIII: 32. Ægyptii ab Hebræis, & *Exod.* I: 19. mulieres Ægyptiæ a mulieribus Hebræis diſcriminantur. Pariter Judæi dicuntur *filii Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*, ſæpiùs autem *filii Iſraëlis* ab altero patris *Jacobi* nomine, non ſolùm ante eorum adventum in Ægyptum *Geneſ.* XLVI. ſed etiam quamdiu in Ægypto fuerunt, ſive dum amicè, ſin verò dum eos duriter habuerunt Ægyptii *Geneſ.* XLVIII. *Exod.* I. imò in egreſſu, *filii Iſraëlis* exeunt ex Ægypto *Exod.* XII. *Pharao* ejuſque exercitus perſequuntur a tergo *filios Iſraëlis Exod.* XIV. *filii Iſraëlis* trajiciunt mare rubrum; *filii Iſraëlis* murmurant in deſerto, ibidemque perit illa *filiorum Iſraëlis* generatio; eorum liberos ſub nomine *Iſraëlis* ad Jordanem alloqui-

tur

tur *Moſes.* Mox *Joſua* & omnes ſubſequentes Prophetæ nomine *Iſraëlis* vel *Jacobi* eos conſtanter dignantur. Ab altera parte *Abrahamus*, *Iſaacus*, & *Jacobus* appellantur Judæorum patres: nam *Exod.* III. & IV. *capp.* Deus memor ſui fœderis cum illis Patriarchis miſit *Moſem* in Ægyptum, ut eorum ſemen, Hebræos ſcilicet, a ſervitute Ægyptiorum liberaret, & in terram eorum patribus jurejurando promiſſam introduceret. Et in tota ſacrorum Codicum ſerie frequens fit mentio illorum Patriarcharum, ut patrum & conditorum gentis Judaïcæ, & pacti cum iis initi a parte *Jehovæ*; ita ut ſupervacaneum ſit omnia loca indicare, quæ eò faciunt. Præterea Judæi aut Hebræi hoc nomine *Iſraëlis* continuò diſtinguuntur ab Ægyptiis, iiſque opponuntur; ſive in ipſa Ægypto: nam *Ægyptii in duram ſervitutem redigunt filios Iſraëlis Exod.* I: 13. primogeniti Ægyptiorum ab Angelo Domini occiduntur; filii verò *Iſraëlis* nullum damnum accipiunt *Exod.* XI. & XII. *capp.* In ipſo exitu, Ægyptii urgent filios *Iſraëlis*, ut citò eorum confinia relinquant *Exod.* XII. ad mare rubrum filii *Iſraëlis* vident Ægyptios a tergo inſequentes; filii *Iſraëlis* terrentur ab Ægyptiis; filii *Iſraëlis* mare trajiciunt ſiccò pede; econtrà Ægyptii aquis ſubmerguntur. Poſt tranſitum maris filii *Iſraëlis* Deum laudant ob Ægyptios ſubmerſos *Geneſ.* XV. Imò eodem nomine ſeparantur Judæi, ut ab Ægyptiis, ſic ab omnibus aliis populis, ut ab Ammonitis, Moabitis, Philiſtæis, Cananæis, reliquiſque populis finitimis, ut ſuperiùs obſervavimus ex *Deuteronom.* XXIII. Si autem Judæi Ægyptiorum progenies forent, ſanè tanto cum ſtudio non diſtinguerentur ab Ægyptiis, nec ſemper dicti fuiſſent Iſraëlitæ, cùm Ægyptii eſ-

ſent; ſed jamdiu filii patrum nomen ſortiti fuiſſent, & gens appellata fuiſſet a ſuis conditoribus. Prout accidit Britannis, qui primævum nomen mutarunt in illud Anglorum ab Anglis Saxonibus, qui cum incolis immixti ſunt. Deinceps idem obtigit Normannis in inſulam Britannicam trajectis. Sic Galli dicti ſunt Franci a gente Francorum, qui ex Germania Rheno trajecto in Galliam migrarunt & in unam gentem cum indigenis coaluerunt: nam ex mixtura gentium utplurimum mutantur nomina & naſcuntur novæ populorum appellationes, ita ut vel Ægyptii dicti fuiſſent Iſraëlitæ, vel Iſraëlitæ dicti fuiſſent Ægyptii, quod magis probabile eſt, quia ſecundum *J. Tolandum* filii *Iſraëlis* fuerunt ſervitia Ægyptiorum, qui ſuis mancipiis nomina feciſſent citiùs quàm ſervi ſuis heris. Aut ſi Judæi in Ægypto aucti fuiſſent ex colluvie ſervitiorum, ex omnibus populis finitimis convenarum, prout cenſet *J. Tolandus*, tum Hebræi nomen accepiſſent ab omnibus illis populis finitimis, ut a multò majore & potiore parte, citiùs quàm omnes illi populi finitimi nomina ſibi facere voluiſſent ab exigua hominum manu, vel in nomen Ægyptium conſenſiſſent & coaluiſſent. Sed contrarium liquet ex Judæorum appellationibus, qui nomina Hebræorum, & Iſraëlitarum, & filiorum *Abrahami* conſtanter retinuerunt, ut inde omnibus conſtet eos non eſſe Ægyptios, multò minùs promiſcuam ſervitiorum Ægyptiorum colluviem, ſed ſemen *Abrahami*, & progeniem Patriarcharum. Tandem Judæi dicti ſunt a regno *Davidis* & *Solomonis* ſub *Rehoboamo* in duas partes diſcerpto, quarum altera fuit regnum *Judæ*, unde natum eſt nomen Judæorum, quod adhuc ubique retinent filii *Abrahami*, ſed, ut alia

eorum

eorum nomina, a ſua gente deſumptum, utpote quod a præcipua Tribu mutuatum ſit; adeo ut iterum colligendum ſit, Judæos ſe immixtos cuſtodiſſe ab aliis gentibus.

II. His adde, gentis genealogiam & hiſtoriam, quæ a primo conditore usque ad poſtremos & minimos nepotes contexitur in *Pentateucho*, iteratur verò in *lib.* 1. *Chronic.* & in aliis Veteris Teſtamenti Codicibus ſubinde compendiosè attingitur in hac aut illa parte; hoc eſt, in una aut altera Tribu, in uno aut altero ramo & rivulo. Ea autem continuâ ſerie deducitur a *Semo Geneſ.* x. & xi. *capp.* uſque ad *Abrahamum*, ab *Abrahamo* uſque ad duodecim Patriarchas, a duodecim Patriarchis uſque ad duodecim Tribus, quibus nomina fecerunt, & a duodecim Tribubus ad ſingularum Tribuum familias, nominatim ad Tribum *Juda*, & ad familiam *Davidis*, ex qua naſciturus erat *Meſſias*. Itidem Judæorum hiſtoria continet deſcribitque & patrum & poſterorum labores, diſcrimina, peregrinatiónes, incrementa, bella &c. ſed ex hac narratione conſtat, Judæos fuiſſe *Semi* poſteros, *Hebræos*, *Abrahamidarum* & *Jacobidarum* genus, & duodecim Patriarcharum *Jacobi* filiorum progeniem; qui in Syriam, in Canaan, in Ægyptum perégrinati ſunt, varia paſſi rerum diſcrimina, donec terrâ promiſsâ potiti ſunt. Interim nec in Syros, neque in Cananæos, nec in Ægyptios, nec in ullum alium populum, ad quem venerunt, coaluerunt, multò minùs degenerarunt in vilia mancipia, aut in colluviem ſervitiorum ſeditioſam & perduellem in *Pharaonem*. Saltem illarum rerum illiusque gentis originis & conditionis in Ægypto, qualis a *J. Tolando* ſtatuitur, ne minima fit mentio in Judæorum hiſtoria, quæ

accurata eſt, quæque res minoris momenti illis, quæ hîc controvertuntur, refert. Præterea, quæ ad Judæorum genealogiam & hiſtoriam ſpectant, ea confirmantur a *Joſepho* circa Reipublicæ Judaïcæ extremum diem, verace Hiſtorico & accurato, qui de Judæorum origine, patribus, periculis, bellis, &c. eadem tradit, quæ in ſacris Codicibus occurrunt; dum alto ſilentio reticet illam ſervilem originem & conditionem, illam cognationem Ægyptiam ſuæ gentis; quæ ſi vera fuiſſent, proculdubio ea retuliſſet, vel ſi conſultò & ſtudioſè tacuiſſet, a gentis Judaïcæ inimicis exprobrata eſſet hujus Hiſtorici vafrities & mala fides. Itaque ſatis mirari non poſſum noſtri hominis audaciam, qui tam nova & inaudita, ut & tam probroſa & injuria de gente Judaïca in medium protulit, nullâ adductâ probatione præter rumorem, qui tempore *Strabonis* ſparſus eſt, idque contra hiſtoriam gentis traditam vel in ſacris vel in Judæis Scriptoribus. Nec cauſam conjicio, quâ *J. Tolandus* inductus eſt, ut famam de origine gentis Judaïcæ probroſa a *Strabone* perhibitam prætulerit aliis diverſis rumoribus & vulgi opinionibus de hac ipſa re a *Juſtino* & *Tacito* traditis, cùm nulla ſit altera certior: nam illa multifaria fama, & variantes opiniones de ortu Judæorum inter Ethnicos ſparſæ indicant, eos neglexiſſe & ignoraſſe populi Dei hiſtoriam, quæ a ſacris Codicibus imprimis peti debet. Ergo deſinat noſter Cenſor cæcitatem & ſuperſtitionem, ipsâ Judæorum ſuperſtitione pejorem, iis exprobrare, qui volunt *Judæos eſſe ſemen Abrahami & filios Jacobi ſine corruptione ſanguinis*, quique negant eos prognatos eſſe ex Ægyptiis, aut ortos eſſe ex mixta colluvie ſervitiorum Ægyptiorum: nam ex ſuprà dictis ſatis liquidò

quidò patet, ipſum *J. Tolandum* cæcutire in luce meridiana clariore, illumque eſſe ſuperſtitioſiorem & pervicaciorem in exoticis Scriptoribus, nominatim *Strabone*, credendis, quàm veracem & accuratum in veritate Hiſtoriæ ſacræ indubitata inquirenda & amplectenda. Sed hæc ſufficiant de origine Judæorum, & de eorum falsò dicta cognatione cum Ægyptiis: ſupervacaneum enim duxi omnia argumenta, quæ eò faciunt, congerere, ut Iſraëlitarum in deſerto poſt egreſſum ex Ægypto recenſionem, quæ progreditur ſecundum Hebræorum familias & capita, ac ex qua efficitur, eorum originem in integrum referri ad duodecim Patriarchas *Jacobi* filios, & ad *Abrahamum*, *Iſaacum*, & *Iſraëlem*; vel promiſſiones & benedictiones divinas, quæ illi genti factæ & collatæ ſunt, quatenus erat ſemen *Abrahami*, & poſteri *Jacobi*; ut & teſtimonia *Chriſti* & Apoſtolorum, qui Judæorum originem conſtanter & unanimiter repetunt ab *Abrahamo*, *Iſaaco*, & *Jacobo*, aliisque Patriarchis.

Cap. VIII.

In quo Moſes *iterum defenditur.*

I. Superiore capite gentem Judaïcam defendimus; in hoc verò ejus Legiſlatorem defendemus, quem Sacerdotem & Nomarcham Ægyptium fuiſſe contendit *J. Tolandus Origin. Judaïc. paragr.* 14. argumentis petitis 1. *A loco quodam Diodori Siculi Biblioth. lib.* 1. 2. *A principatu, quem obtinuit in Republica ab ipſo nuper inſtituta, ſacerdotio, quod repudiaverat, in ſua familia ſtabilito.* 3. *A loco Actor. Apoſtol. cap.* VII:

22. *in quo Moſes dicitur potens fuiſſe dictis & factis*. 4. *A terra Goſenitide*, quæ a noſtro Cenſore ſtatuitur *Moſis* nomus & ditio.

II. Primò quod ad locum *Diodori* a *J. Tolando* adductum ſpectat, reſpondeo illum ad rem præſentem nullomodo facere: ibi enim tantùm oſtenditur, Ægyptum in tres partes fuiſſe diviſam, quarum primam obtinuerunt Sacerdotes, tum ob pietatem erga Deos, tum ob eximiam eorum eruditionem & prudentiam, ac quia a Regum conſiliis erant. Quod non negamus; nec hîc quæritur an *Moſes* Sacerdos & Nomarcha eſſe potuit, ſed an reverà fuerit? Quod probari non poteſt ex teſtimonio *Diodori*, qui hoc in loco *Moſis* non meminit. Itaque infœlix, vel potiùs imperitus eſt noſter Cenſor in citando *Diodoro Siculo*, qui tradit Sacerdotes Ægyptios fuiſſe Nomarchas, nullâ factâ *Moſis* mentione; ſed potuiſſet, ſi voluiſſet, aut noſſet, *J. Tolandus* alios certiores, aut ſaltem clariores in ſuam cauſam adducere teſtes, ut *Manethonem* & *Chæremonem* apud *Joſeph. lib.* 1. *contra Appion.* & utrumque Sacerdotem Ægyptium, quorum alter ibidem tradit *Moſem* fuiſſe Sacerdotem Heliopolitanum ſub nomine *Oſarſiph*; alter verò eum vocat *Scribam*, hoc eſt, commentatorem & litteratum, ut plerique Sacerdotes Ægyptii erant, quique a *Joſepho Antiq. Judaïc.* vocantur Ἱερογραμματεῖς. Attamen puto hanc Ægyptiorum traditionem de *Moſis* munere ſacerdotali natam eſſe ex fama ſcientiæ & ſapientiæ illius viri eximii, quâ vacabant & inclaruerunt Sacerdotes Ægyptii. Vix enim crediderim illum ſacerdotio initiatum & indutum, qui in filium adoptatus erat a *Pharaonis* filia *Exod.* II: 10. quique a *Joſepho Antiquit. Judaïc. lib.* II. *cap.* V. dicitur in regnum de-

deſignatus, licèt ejus dignitas & educatio in aula regia ipſi amplam occaſionem ſubminiſtraverit cum Sacerdotibus & Magis Ægypti verſandi, ut & Ægyptiorum ſapientiam addiſcendi. Multò minùs exiſtimo *Moſem* fuiſſe tantùm Nomarcham: erat enim a *Pharaone* proximus; ideoque ab Apoſtolo *Hebr* XI: 26. dicitur contempſiſſe *theſauros Ægypti*, quibus indicari videntur divitiæ regiæ, quæ ex toto regno colliguntur, & a *Joſepho* loco mox memorato refertur imperaſſe exercitum Ægyptium contra Æthiopas.

III. Nec certiùs concludit noſter Cenſor, *non inde ſequi Moſem non exſtitiſſe Sacerdotem in Ægypto; ut non mirum eſt, quòd repudiato ſacerdotio obtinuerit principatum in Republica Hebræorum.* Primò noſter Logicus committit petitionem principii, aut probat idem per idem: colligit enim *Moſem* fuiſſe, vel eſſe potuiſſe Sacerdotem in Ægypto, ex eo quòd ſacerdotium apud Hebræos repudiaverit; ac ſi oſtendere vellet *Moſem* exſtitiſſe Sacerdotem in Ægypto, quia exſtitit Sacerdos in Ægypto; cùm certò certius ſit illud ſacerdotium, quod repudiavit *Moſes*, ſecundum noſtrum hominem eſſe ipſiſſimum ſacerdotium, quod habuerat in Ægypto. Præterea in hoc loco latet *J. Tolandi* triplex impietas: nam primò ſacerdotium *Aaronis* confundit munere Sacerdotum Ægyptiorum, utpote qui velit *Moſem* ſuo fratri conceſſiſſe illud ſacerdotium, quo initiatus erat in Ægypto. Secundò vafritiei; aut avaritiæ & injuſtitiæ *Moſem* inſimulat, qui *ſacerdotium in ſua familia ſtabilivit, idque non conſulto populo.* Denique *Moſi* exprobrat ambitionem, eò quòd principatum & ſummum imperium invaſit. Ad primum reſpondeo: Sacerdotium *Aaronicum* fuit divinum & ſacro-ſanctum; munus verò Sacerdo-

cerdotum Ægyptiorum & aliorum Gentilium fuit humanum & profanum ſacerdotium. Sacerdotes Gentium ſacrificabant Diabolis, ut Apoſtolus notat 1. *Cor.* x: 20. Sacerdotes verò Hebræorum ſacrificabant Deo vero *Hebr.* v: 1. *Aaron* ordinatus eſt ad ſacerdotium, ut populum Deo reconciliaret, & per eum ſuam voluntatem patefaceret *Jehova*; Sacerdotes verò Ægyptiorum iram divinam accendebant ſuis idolomaniis & immanibus ſuperſtitionibus. Filii *Aaronis* erant præcones & interpretes veritatis, nam, ut Propheta *Malachias* II: 7. ait, *Lex inquiri debet ab ore Sacerdotis*; Sacerdotes verò Gentium mendacii inventores & defenſores erant. Sacerdotes apud Hebræos populum Dei docebant doctrinam cœleſtem & ſalutiferam; Sacerdotes autem apud Ægyptios litteras humanas & vanam ſcientiam tantùm propagabant. Itaque vaſtum intercedit diſcrimen inter ſacerdotium *Aaronis* & ſacerdotium apud Ægyptios, quæ ideo confundit *J. Tolandus*, ut oſtendat quodvis ſacerdotium eſſe merè humanum, aut ſuperſtitioſam & politicam inſtitutionem; præterea quòd nullibi exſtet in *Pentateucho*, *Moſem* fuiſſe Sacerdotem, multò minùs ejus ſacerdotium ad fratrem dimanaſſe, idque repudiaſſe in decus & emolumentum ſui fratris. Itaque quod ad alteram accuſationem attinet, nego *Moſem* unquam ſtabiliviſſe ſacerdotium in ſua familia: nam ex *Exod.* XXVIII: 1. conſtat, *Aaronem* ejusque filios a Deo ipſo delectos & ſeparatos fuiſſe ad munus ſacerdotale obeundum, quod confirmat Apoſtolus *ad Hebræos cap.* v: 4. ubi ait, *neminem ſibi ſumere honorem ſacerdotii, niſi a Deo vocatum, ut fuit Aaron.* Nec aliæ Tribus unquam ſiviſſent *Moſem* ſibi & ſuæ Tribui aut familiæ omnes honores, imprimis ſacerdotium, arro-

rogaſſe, niſi pro certo noſſent ſic a Deo conſtitutum fuiſſe: cùm enim nonnulli Levitæ, *Coreh* ſcilicet, *Dathan*, & *Abiram*, ſacerdotium ambientes, quod ægrè ferebant familiæ *Aaronicæ* affectatum fuiſſe, cum nonnullis populi Iſraëlitici primatibus in *Moſem* & *Aaronem* inſurrexiſſent, *Moſes* provocat ad totam congregationem, ut & ad ipſos Levitas, eoſque omnes provocat ad Deum, qui miraculis ſacerdotium in familia *Aaronica* ſtabilivit & firmavit, ne in poſterum ullus de ſacerdotio litigandi relinqueretur locus; ut patet ex *Numer. cap.* XVI. Idem judicandum eſt de principatu, quem *Moſes* obtinuit in Republica Hebræorum: Deus enim eum elegit & miſit ad populum Iſraëliticum, ut ejus Liberator, Legiſlator, Imperator, & Princeps foret: ſed ne illa munera ambiiſſe & affectaſſe videretur *Moſes*, ipſemet ea bis terque recuſat *Exod.* III. & IV. *capp.* Deinceps *Numer.* XI. Deum rogat, ut pars honoris & oneris ſui in alios transferatur, quod ad ejus urgentem petitionem factum eſt. Nec in ſua familia ſtabilivit ſummum imperium, ſed in diverſam tribum & familiam, Deo jubente, tranſire ultrò conceſſit *Moſes*; qui tamen principatum in ſua familia retinere facilè potuiſſet, ſi vellet, hoc eſt, ſi ambitionis mancipium & gloriæ cupidus fuiſſet. In omnibus autem inſtitutis a ſolo Dei nutu & mandato pendebat *Moſes*; itaque non neceſſum fuit, ut populum conſuleret de ſuo fratre ad ſacerdotium ordinando & admittendo: Reſpublica enim Hebræorum erat Theocratia, in qua Deus pro lubitu quoſcumque vellet in rebus ſacris aut civilibus adminiſtrandis nominabat & definiebat. Sic *Moſem* Principem, & *Aaronem* Sacerdotem ſui populi conſtituerat, ut deinceps *Saülem* & *Davidem* ordinavit & unxit ad pro-Reges

ges & Duces ſui regni. Præterea ſacerdotium non fuit ſtabilitum in familia *Aaronica*, *non conſulto populo*: *Moſes* enim *Aaronem* conſecravit & unxit in Sacerdotem coram congregatione *Iſraëlis*, qui, niſi compertum & perſuaſum habuiſſent Deum contuliſſe ſacerdotium *Aaroni*, proculdubio in *Moſem* exclamaſſent, nec ſui fratris conſecrationem unquam approbaſſent. Concludamus igitur nec *Moſem* Rempublicam Hebraïcam conſtituiſſe, neque ejus principatum invaſiſſe, nec fratrem in ſacerdotium intrudiſſe; ſiquidem hæc omnia a Deo ipſo deſignata, conſtituta, & confirmata fuerint, & vivâ voce & miraculis, in conſpectu 600000. hominum; adeo ut de horum inſtitutorum veritate & divinitate dubitare nefas ſit, cùm harum rerum hiſtoria nobis tradita ſit a viro ſapientiſſimo, qui horum pars magna fuit, quique ea ipſe vidit: ut & ad nos pervenit earum fama confirmata a teſtibus oculatis; niſi *J. Tolandus* nobis concedere velit jus dubitandi, an *Strabo* unquam exſtiterit? an unquam dixerit aut ſcripſerit *Moſem* Sacerdotem & Nomarcham in Ægypto exſtitiſſe? Et quàm futile ſit iſtud argumentum ad probandum *Moſis* ſacerdotium & præfecturam, dum eſſet in Ægypto, nemo non videt?

IV. Sed noſter Criticus ibidem ſubjungit, *rem eſſe maximè veroſimilem*, *quia* (ut *Acta Apoſtolorum cap.* VII: 22. teſtantur) *Moſes eruditus fuit omni ſapientiâ Ægyptiorum*, *eratque potens dictis & factis*. Quæ verba ſecundum *J. Tolandum innuere videntur ejus ſacerdotium & præfecturam*, *non verò magiam aut miracula*. Primò concedo Ægyptiorum ſapientiam præ reliquis gentibus illis primævis temporibus celebratiſſimam eſſe; utpote qui Matheſeos, Aſtronomiæ, Phyſicæ, Medicinæ,

næ, Politicæ, & Hiſtoriæ inventores vel ſaltem promotores fuerint; prout teſtantur *Herodotus lib.* II. *Strabo lib.* XVII. imò *Diodorus Siculus* tradit, omnes Græcorum Legumlatores & Philoſophos in Ægyptum peregrinatos fuiſſe, & ſuam ſapientiam inde hauſiſſe. Inter Ægyptios autem Sacerdotes illas ingenuas artes & diſciplinas maxima cum induſtria excolebant, qui, ut ait *Strabo lib.* XVII. Φιλοσοφίαν ἤσκουν καὶ Ἀστρονομίαν, ὁμιληταὶ δὲ τῶν βασιλέων ἦσαν: ipſique Reges & Principes juxta eumdem inter Sacerdotes initiabantur, ut eorum ſcientiâ & ſapientiâ imbuerentur. Licèt autem *Moſes* eâdem ſapientiâ eruditus fuerit, tamen non neceſſariò ſequitur, eum fuiſſe, aut Sacerdotem, aut Nomarcham, aut utrumque ſimul: ejus enim regia cognatio, &, ut *Joſephus* vult, deſignatio in *Pharaonis* ſucceſſorem, ipſi jus & copiam dabat nobiliſſimam & liberaliſſimam recipiendi educationem ab ipſis Sacerdotibus, qui Regi a conſiliis erant, quique quotidie in aula verſabantur. Si autem *dicta & facta*, quibus polluit & inclaruit *Moſes*, ejus *magiam aut miracula non innuunt* juxta *J. Tolandum*; multò minùs ea innuere videntur *ejus ſacerdotium ſimul & præfecturam*, prout contendit noſter Cenſor: *Moſes* enim exſtare potuit & ſapiens & fortis abſque illa duplici dignitate, ex ingenua educatione, quam obtinuit in aula regia, & a præclarè geſtis: ita ut *Moſis* præclara *dicta & facta* commodiùs explicari poſſint de ejus eximia doctrina & inſigni virtute, imprimis bellica; cùm a *Joſepho* ſæpiùs appelletur *conſultiſſimus conſiliarius*, *& fortiſſimus dux belli*, qui præclàra geſſit contra Æthiopas: licèt enim *Chriſtus Luc.* XXIV: 19. pariter dicatur *Propheta potens facto & dicto*, ob ejus ſingularem doctrinam & inſignia mi-

miracula; tamen ex loco *Actorum*, de quo agitur, ſatis liquet, facta *Moſis* non intelligi de ejus miraculis; quia ſanctus *Stephanus* hoc elogio eum ornat, antequam ad ſuos fratres veniſſet, cùm nondum ulla miracula ediſſet *Moſes*, ſaltem quantum novimus ex Scriptura ſacra. Sed demus *Moſem* fuiſſe in Ægypto initiatum inter Sacerdotes, ut eorum ſcientiæ & ſapientiæ penetralia adiret, & Nomarcham aut Principem exſtitiſſe; nolumus enim ea rixoſè contendere, attamen non concedemus Goſenitidem fuiſſe *Moſis* nomum aut præfecturam, multò minùs id concedemus eo ſenſu & fine, quo *J. Tolandus Moſem* hujus nomi Præfectum ſtatuit, ut ſcilicet inde efficiat, eum ſervitia Ægyptiorum eò collegiſſe, indeque cum illa colluvie miſcellanea bellum ſervile concitaſſe contra *Pharaonem*. Primò enim illa Ægypti pars filiis *Iſraëlis* aſſignata eſt in domicilium a *Pharaone* ſub auſpiciis *Joſephi Geneſ.* XLVII. ibidemque habitarunt ultra centum annos ante natum *Moſem*: ipſemet *Moſes* in Goſenitidem venit & cum Iſraëlitis verſatus eſt tantùm illo ipſo anno eorum egreſſus ex Ægypto; prout conſtat ex *Exod.* I. IV. & XII. *capp.* & ex *Joſepho Antiquit. Judaïc. lib.* II. *cap.* VI. *Moſes* enim anno ſuæ vitæ quadrageſimo ad fratres profectus & ab iis malè exceptus ex metu *Pharaonis* aufugit in Midianitarum regionem, unde in Ægyptum quadraginta annis elapſis iterum rediit. Ex his autem ſequitur *Moſem* nec fuiſſe nec eſſe potuiſſe Nomarcham Goſenitidis. Primò enim *J. Tolandus* hoc in loco ſtatuit *Moſem* fuiſſe Nomarcham ſimul & Sacerdotem, dum erat in medio Ægyptiorum, & *Pharaonis* aulicus: ſed quando *Moſes* venit in Goſenitidem ad ſuos fratres, tum reliquerat aulam regiam, & adoptionem filii *Pharaonis*, ut

& delicias ac divitias Ægypti repudiaverat. Præterea ab illo tempore, quo *Moſes* a Deo miſſus ad Iſraëlitas habitantes in Goſen venit, tot & tantis negotiis diſtentus & diſtractus fuit, ac ita occupatus *Pharaone* ejusque Aulicis conveniendis, commonefaciendis, redarguendis, & miraculis edendis ad eorum ſuperbiam frangendam, ut præfecturâ adminiſtrandâ nullo modo vacare potuerit. His adde, *J. Tolandum* concluſiſſe *Moſem* exſtitiſſe Nomarcham in Ægypto ex loco *Actor.* VII: 22. ſed ex contextu & ex *Exod.* II. liquet *Moſem* tunc temporis nondum viſitaſſe Iſraëlitas in nomo Goſenitico, ſi ſaltem terra Goſen unquam fuerit nomus Ægypti; quod non credo, quia ille tractus includebatur intra nomum Hieropolitanum, aliàs *On* dictum in Scriptura ſacra. Nec ullo modo probari poteſt, vel ex *Pentateucho*, vel ex ipſo *Strabone*, *Moſem* fuiſſe ſeditionis ſervilis anteſignanum in Goſenitide ditione, quò manum ſceleſtam & colluviem omnis generis ſervitiorum Ægyptiorum convocavit, ut inde bella moveret in *Pharaonem*: nam de bello ſervili, cui præfuiſſe *Moſem* innuit *J. Tolandus*, ne γρὺ quidem habet *Strabo*. Præterea ex *lib. Exod.* liquet, dum *Moſes* in Ægypto fuit, nominatim ab illo tempore quo ex juſſu Domini ad Iſraëlitas in terram Goſen rediit, nil egiſſe, cujus causâ ſeditionis & rebellionis inſimulari debeat; non civit arma in *Pharaonem* & Ægyptios, agros non devaſtavit, domos non diripuit, urbes non incendit, loca munita non invaſit, in *Pharaonis* aulam impetum non fecit manu armatâ, ipſumque Regem aut Aulicos verbis minacibus & ſeditioſis non adortus eſt, nec hujusmodi ſcelera & perturbationes perpetravit, quæ in ſeditionibus & bellis civilibus,

multò magis ſervilibus committi ſolent. Non armis & copiis, ſed precibus & miraculis pugnat cum Ægyptiis. Quis autem ferre poteſt præfrictam noſtri hominis audaciam, qui *Origin. Judaïc. paragr.* 14. *pagg.* 151. 152. affirmare non dubitat, *Nomum aut ipſam regionem, quam incolebant Moſis ſive ſectatores, ſive ſubditi, in Pentateucho disertè nominari*, adducto loco *Geneſ.* XLVII: 27. *Habitantes verò Iſraëlitæ in terra Ægypti, in tractu Goſenitico, poſſeſſiones in eo habuerunt, creveruntque & vehementer aucti ſunt.* Ubinam terra Goſen dicitur nomus, aut nomus & præfectura *Moſis*? Ubinam vocantur Iſraëlitæ aut alii populi ſectatores ſubditive *Moſis*? Nil horum in contextu occurrit, ubi Iſraëlitæ ſimpliciter dicuntur habitaſſe in tractu Goſenitico, ibidemque vehementer creviſſe; imò illo tempore, ad quod referri debet locus *Geneſeos* a *J. Tolando* citatus, nondum natus erat *Moſes*. Itaque Iſraëlitæ creverunt ex multiplicatione & fœcunditate ſui proprii generis, non verò ex ſervitiis Ægyptiorum, quorum nulla fit mentio loco mox memorato. Nec *Moſes* dici poteſt colluviem hominum omnis generis & populorum finitimorum in Goſeniticum tractum ad arma convocaſſe: nam Iſraëlitæ jam vehementer aucti erant ante natum *Moſem*. Præterea fœcunditas gentis Iſraëliticæ conſtanter & in integrum tribuitur promiſſioni & benedictioni divinæ, ut patet ex *Geneſ.* XV: 5. 14. *Exod.* I. *Actor.* VII: 17. Denique cùm populus Iſraëliticus recenſitus eſt in deſerto, eorum ſtemmata & nomina ſunt linguæ & gentis Hebraïcæ, non verò ab Ægyptiis aut aliis peregrinis & finitimis populis deducta, qui ſi maximam illius colluviei miſcellaneæ partem confeciſſent, (ut inſinuat *J. Tolandus*)

landus) proculdubio ſua nomina gentilitia ſervaſſent, aut ſaltem nonnulla ſuperfuiſſent ſuæ originis ſuique generis veſtigia, quæ ne minima apparent in illa recenſione. Licèt autem Deus *Moſem* conſtituerit & præfecerit ſui populi ducem, liberatorem, & legumlatorem, attamen imperium & præfecturam in Iſraëlitas exercere non potuit, vel in tractu Goſenitico, vel in alia Ægypti parte: nam a nato *Moſe* uſque ad exitum filiorum *Iſraëlis* ex Ægypto duræ ſervitutis jugum tulit illa gens, ab Ægyptiis oppreſſa, & ad improbos ſervileſque labores damnata. Quomodo autem *Moſes* illos regere, aut ad arma convocare potuit, qui ſervilibus operis ab Ægyptiis & tributi quæſtoribus indeſinenter uſque ad extremum diem addicti & detenti ſunt? Valeant igitur noſtri Cenſoris frivolæ conjecturæ & putida nugamenta, ſileatque *J. Tolandus*, qui *Moſis* & gentis Judaïcæ hiſtoriam a *Pentateucho* toto cœlo diſtantem, impium ſui cerebri fœtum, nobis obtrudere vellet. At *Moſis* ejuſque librorum auctoritas multis ſiclis apud me, ut & apud omnes litteratos, qui Antiquitatis penetralia adierunt, prævalet ante crudas & inanes viri nugacis ac Linguarum Orientalium & ſcriptorum Judaïcorum ignari conjecturas.

Cap. IX.

In quo defenditur Religio a Moſe *inſtituta.*

I. Religionem a *Moſe* inſtitutam ad tria aut quatuor capita potiſſimùm reſtringit *J. Tolandus*. 1. Ad prohibitionem idololatriæ *Origin.*

gin. Judaïc. paragr. 15. 2. Ad cultum unius Numinis eodem *paragrapho.* 3. Ad modum illud Numen colendi facilem, nec ſumptuoſum *paragg.* 16. & 17. 4. Denique ad ſomnia & ſomniantes *paragr.* 18. Quæ breviter expendemus, additis nonnullis animadverſionibus; nam ad finem properamus, & huic Defenſioni extremam manum imponere tempus inſtat.

II. Quod ad portentoſas Ægyptiorum religiones & ad cultum idolorum a *Moſe* vetitum attinet, iis diu non eſt immorandum. Primò enim concedo Ægyptios omnium populorum ſuperſtitioſiſſimos & idololatriæ addictiſſimos fuiſſe, utpote qui ſyderum, omnigenorumque animantium, ne immani crocodilo excepto, & hominum ſimulachra in religionem invexerint & coluerint. Quod non ſolius *Strabonis* teſtimonio conſtat, ſed diu ante *Strabonem* idem teſtatus eſt *Herodotus lib.* II. ubi innumerorum numinum cultores, ac plurium ſuperſtitionis partium, ut feſtorum dierum, ſolemniumque proceſſuum & conventuum ad Deos, primos auctores fuiſſe Ægyptios perhibet. Necnon videatur *Plutarchi* libellus aureus *de Iſide & Oſiride*, ubi nos docet, ut & *Herodotus lib.* mox memorato, Græcos eorum ſuperſtitionem & idolomaniam æmulatos eſſe; his autem teſtibus hoc in loco concinit *Strabo.* Sed nego Ægyptiorum Deos fuiſſe Deos majorum gentis Judaïcæ, prout ex *Strabone* vult noſter Cenſor. Multò minùs conſequenter id colligit noſter argutator ex loco *Deuteronom.* IV: 15. ab ipſo hunc in finem adducto. Primò enim in illo loco nulla fit mentio ſive majorum filiorum *Iſraëlis*, ſive Ægyptiorum ut hujus gentis progenitorum; nec ibidem jubentur Iſraëlitæ *ablegare* & *ementiri Deos* Ægyptio-

rum

rum majorum ſuorum; ſed ipſis vetatur idololatria, & cultus Numinis ſub variis imaginibus & ſpeciebus rerum cœleſtium, terreſtrium, & aquatilium; cujuſmodi ſuperſtitio non apud ſolos Ægyptios, ſed apud alios populos (ſi Iſraëliticum excipias) vigebat. Eadem impietatis ſpecies interdicitur ſecundo Legis moralis præcepto. Ut autem ab efformatione idolorum in cultum religioſum ſuos populares abſterreret *Moſes*, ipſis in memoriam revocat, ſe nullam Dei imaginem vidiſſe, licèt viderint ignes & fulgura, ex quorum medio eos allocutus eſt *Jehova* in monte Horeb. Denique ſub finem hujus loci Iſraëlitas monet divinus Legiſlator, ut ſibi caveant ab ingratitudine aliarum gentium, quæ colunt & adorant illa omnia, quæ ſub toto cœlo ipſis aut in eorum uſum & voluptatem largitus eſt *Jehova* Deus Hebræorum. Nec mihi laborandum eſt duplice tripliceve *J. Tolandi* impietate refellendâ; quando primò aſſerit ***unum illud Numen æternum, neque mutabile, neque interiturum, quod ſolâ mente intelligunt Judæi***; ut & nomen *Jehuvæ* ſacro-ſanctum & alia divini Numinis nomina ***eſſe æquivoca, quæ Atheïsmo æquè ac Theïsmo apprimè congruunt***; cùm præterea innuit ***ipſammet naturam vel mundi materiam mechanicè diſpoſitam, absque ulla conſcia intelligentia agentem, pro Deo habuiſſe Moſem***; cùm denique *Scriptori Pentateuchi*, quem a *Moſe* diverſum eſſe ſtatuit, eamdem impiam ſententiam tribuit: has enim impietates ſuperiùs, nominatim hujus *Defenſionis Moſis & Gentis Judaïcæ* capite quarto, abundè confutavimus, quando *Moſem* ab imputatione Pantheïsmi vindicavimus. Sed non poſſum non obſervare noſtri Cenſoris impiam argutiam, qui *paragr.* 15. *pag.* 156. concludit, licèt *Moſes* Pan-

theïſta fuiſſet, *nihilominùs eum infeſtum futurum idololatriæ hoſtem*, *additâ ratione*; (*cùm ſcilicet eſſet oneroſa*, *moleſta*, *&* *ridicula*) nam primò impietatem removet ab idololatria, cui tantùm relinquit oneroſam & ridiculam moleſtiam. Quæ quàm Atheïsmum redoleant, nemo non videt, qui horum Sophiſtarum impia dogmata novit. Præterea falſa eſt conſequentia: nam Pantheïſta non erit idololatriæ æquè infeſtus hoſtis, ac Theïſta: cùm Atheus abſurdiſſimam ſuperſtitionem probabit, & immaniſſimæ idololatriæ conſentiet, dummodò ſimulatio ex re ſua fuerit. Nam, ut ipſemet *J. Tolandus* fatetur *Adeiſid. paragr.* 24. *pag.* 78. *Atheus nunquam a ſtabilita religione diſſentiet*, *cui omnes alios*, *ne ſuſpectus evadat*, *per fas & nefas velit conformes*. Itaque ſi Pantheïſta fuiſſet *Moſes*, (ut vult *J. Tolandus*) tam promptus foret ad idololatriam, quàm ad aliam quamvis religionem inſtituendam, dummodò id ſuæ politicæ, aut ambitioni, aut avaritiæ congruum fuiſſet.

III. Jam plura addere poſſemus & vellemus de Religione & Prophetia Judaïca, niſi *Originum Judaïcarum* hâc poſtremâ parte ſemel & iterum, ut *paragr.* 17. *pag.* 161. & *paragr.* 19. *pag.* 172. meminiſſet *J. Tolandus Reipublicæ Moſaicæ*, quem Tractatum aliquamdiu meditatus eſt. Ibi autem de his rebus commodiùs ſe acturum credit, & jam rumor ad meas aures pervenit, illud opus cum ſuis *Originibus Judaïcis* in unum volumen compactum proximè in lucem proditurum; quod tamen, ſi ſuæ famæ ſoli conſuluiſſet *J. Tolandus*, æternâ oblivione ſepelire debuiſſet. Interim hîc ſubſiſtemus, donec nobis copia dabitur illum *J. Tolandi* Theologico-Politicum fœtum videndi, quem refellere nobis animus

nimus eſt, ſi Deo placuerit. Sed, priusquàm hunc locum claudam, non poſſum non ſubjicere ſpecimen impiorum dogmatum, quæ in *J. Tolandi* ſcriptis, imprimis in his duabus Diſſertationibus, quas hucuſque refutavimus, ſparſa ſunt, quæque vel totidem verbis illic expreſſa ſunt, vel inde neceſſariis conſequentiis deducuntur, ut, quid de Religione ſentiat *J. Tolandus*, cuivis legenti uno intuitu conſpicere liceat.

SYMBOLUM FIDEI TOLANDICÆ.

ARTICULI NEGANTES.

NEGO

Spiritus incorporeos.

Mentem æternam & præſtantiſſimam.

Providentiam Numinis Divini.

Immortalitatem animæ humanæ.

Pœnas & præmia in vita futura.

Authentiam & divinam Scripturæ originem.

Miracula *Moſis* & *Chriſti*.

Moſem fuiſſe Auctorem *Pentateuchi*.

ARTICULI AFFIRMANTES.

AFFIRMO

Mundum aut naturam rerum eſſe ſolum Numen, neque genitum, neque interiturum.

Religionem eſſe pulchrum Politicorum commentum.

Religionem vulgi eſſe ſuperſtitionem.

Atheïsmum eſſe naturalem notitiam & ſapientiſſimorum virorum Religionem.

Religionis inſtitutores & ſacrarum legum latores eſſe vafra & ſubdola ingenia.

Omnium religionum Sacerdotes & ſacrorum myſteriorum Interpretes eſſe ſimulatæ pietatis vanos oſtentatores, qui ex errore alieno quæſtum faciunt.

Religionis cultores & Numinis cœleſtis veneratores eſſe ignarum & imbecille hominum genus.

Quæ-

Quæcumque pro ſupernaturalibus habentur, & in Deum vertuntur, eſſe res merè naturales.

Quæ pro miraculis venditantur & creduntur, eſſe fraudes impoſtorum, vel effecta morbi melancholici in teſtibus, qui ea viderunt, aut audierunt.

Autographa Veteris & Novi Teſtamenti intercidiſſe.

Moſem & Scriptorem *Pentateuchi* fuiſſe Pantheïſtas, aut, ut recentiores loqui amant, Spinoſiſtas.

Moſis ſcripta explicanda & corrigenda eſſe ex exoticorum Scriptorum libris.

Certiorem fidem adhibendam eſſe *Strabonis* diligentiæ, quàm *Moſis*, ut piè creditur, auctoritati.

Atheum eſſe meliorem civem quàm Theïſtam.

Religionem Reipublicæ nocere.

Hiſce

Hiſce Articulis perlectis, quivis probus forſan ſperaret fore, ut tam abſurdæ impietatis tandem pudeat & pœniteat J. Tolandum; *quod ut Deus ter Opt. Max. ex intimis visceribus precor voveoque.*

FINIS.

Corrige in titulo cap. XXVI. pag. 142. & pone *non* ante *eſſe*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ML

005658863

Digitized by Google

Digitized by Google